The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

WITHDRAWN

LEONIS XIII

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

VOL. XX.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1901

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S.S. CORDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bwb_T5-AVQ-076

249.086
L576l
v.20

9319

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
DECRETA CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE
APPROBANTVR ET PROMVLGANTVR

—

LEO PP. XIII

Iesu Christi Ecclesiam, qua late patet, tueri eiusque utilitates ubique terrarum provehere, Pontificum Romanorum munus est atque officium. Nos igitur, quibus, licet immeritis, id modo muneris, Deo disponente, commissum est, uti ceteras catholicorum nationes, sic lectissimas Americae Latinae gentes curas studiumque Nostrum desiderare nunquam permisimus. Ut enim christianae pietatis laude et ecclesiasticae disciplinae vigore semper florerent magis, quum multa alia opportunis temporibus praestitimus, tum Archiepiscopis et Episcopis universis auctores fuimus, ut coire in plenarium Concilium placeret. Id Nobis perutile summeque efficax videbatur: cognoscere enim de necessitatibus singularum ecclesiarum nulli melius possent, quam qui eas regere a Spiritu Sancto sunt positi; collatae autem Pastorum omnium sententiae cavere fidelibus pericula, disciplinae prospicere, cleri populique bono

consulere aptius et validius valerent. — Quum vero et Concilium habendum unanimes sensissent Episcopi; et, pro ipsorum in beati Petri Cathedram observantia atque amore, sedem Concilio nullibi quam Romae, in Nostris oculis, eligendam duxissent; Nos, datis die XXV Decembris MDCCCXCVIII apostolicis litteris *Cum diuturnum*, Concilium ipsum Romam convocavimus. — Sic demum coivere Antistites. Quaque primum animorum concordia, nullo varietatis gentium respectu habito, grave opus sunt aggressi; eâdem prosecuti, fausto optatoque exitu expediverunt. Nec minor concordiâ voluntas fuit impensusque labor; ut mirum non fuerit Concilium brevi spatio absolutum, quaeque tractanda proponebantur, agitata sapienter, gravibusque sententiis ac legibus decreta fuisse. — Ipso autem Concilii tempore, non destitere Patres perpetua Nobis pietatis et obsequii exhibere argumenta; quae Nobis quam grata acciderent, coram, plus simplici vice, professi sumus. Ut vero Venerabilibus Fratribus benevolentiam Nostram ulterius testaremur, S. R. E. Cardinalium peculiarem coetum designavimus, quibus, nomine et auctoritate Nostris, Decreta Concilii cognoscenda commisimus. — Quod quum ii, maturitate maxima diuturnoque studio, perfecerint; Nos, Patrum Concilii plenarii primi Americae Latinae desiderio obsequentes, Decreta Concilii eiusdem, ab Apostolica Sede recognita, praesentibus his Nostris Litteris publicamus, simulque edicimus ut eadem, per Apostolicas has ipsas Litteras, quibuscumque minime obstantibus, in universa America Latina singulisque dioe-

cesibus, ab omnibus ut publicata ac promulgata censeantur ac sedulo observentur. Faxit Deus, ut quae a tot Pastoribus, providenti amantique animo, sancita sunt atque a Nobis recognita, eadem in singularum ecclesiarum bonum et splendorem cedant.

Datum Romae sub anulo Piscatoris die prima mensis Ianuarii anni millesimi nongentesimi, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

INDVLGENTIAE OMNES SANCTVARIO LAVRETANO CONCESSAE

NON SVSPENDVNTVR

DVRANTE ANNO SACRI IVBILAEI

—

LEO PP. XIII

VNIVERSIS CHRISTI FIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum vestigiis adhaerentes, qui occasione universalis Iubilaei Constitutionem edidere de suspensione aliarum Indulgentiarum, eas et Nos praesenti anno sacro suspensas declaravimus per Constitutionem pridie kalendis Octobris proxime transacti datam, exceptis tantummodo nonnullis Indulgentiis et facultatibus, quas illic enumeravimus. Verum enim vero constat eosdem Pontifices maximos, post latam huiusmodi Constitutionem quum exorati fuissent ne inter suspensas Indulgentias eae comprehenderentur, quae Sacrae Lauretanae Domui fuerunt concessae, huic benigne indulsisse postulationi, ut peculiarem pietatem erga Sanctuarium illud demonstrarent, in quo Verbum Caro factum est

propter nostram salutem. Itaque, quum etiam ad Nos simili occasione eaedem preces adhibitae fuerint, Praedecessorum Nostrorum etiam in hac re exemplum lubenti animo sequuti, pari reverentia in supra dictum insigne Sanctuarium capti, ex Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine hisce Litteris concedimus, ut, non obstante praefata Constitutione Nostra, fideles in Sanctuario Lauretano, ex speciali privilegio etiam durante hoc anno universalis Iubilaei, omnibus et singulis tam plenariis quam partialibus indulgentiis, quibus ipsum ditatum fuit, libere perfrui queant, dummodo quae ad eas consequendas iniuncta sunt pietatis opera rite praestiterint. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Ianuarii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

A. Card. MACCHI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
CAROLO EPISCOPO VESPRIMIENSI
VESPRIMIVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Et epistola tua, et duplex adiunctum munus reddita Nobis sunt sane libentibus. In ea siquidem testimonium voluntatis erga Nos tuae perspicimus, etsi non novum, periucundum tamen. Tum gratum est, quod suppeditandis large sumptibus curare pergis, ut *Monumenta Romana Ecclesiae Vesprimiensis* publicentur; cuius operis volumen alterum, studio diligentiaque dilecti filii Guilelmi Fraknói editum, accepimus. Laudamus auctoris operam, laudamus tuam, Venerabilis Frater, munificentiam ea in re locatam, quae quum historiam vestram domesticam, tum veterem romanorum Pontificum de vobis providentiam illustret. — De summa vero, quam mittis, petrianae stipis, agnoscimus catholicorum ex ista dioecesi pietatem, tuam maxime et Cleri, ut par est; eaque de re gratiam vobis Nos

quidem habemus, referet certe Deus: a quo etiam petimus, ut quae Nobis bona precamini, ea vicissim vobis cumulata conferat.

Caelestium autem munerum auspicem, ac paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Ianuarii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO

LVDOVICO MARTIN

PRAEPOSITO GENERALI SOC. IESV

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ignatianae Commentationes quantum in aeternam animorum utilitatem possint, trium iam saeculorum experimento probatum est omniumque virorum testimonio qui, vel asceseos disciplina vel sanctitate morum, maxime per id tempus floruerunt. — Quamvis res ipsa de se testatur. Quum enim error inde omnis in vitam hominum derivetur, quod divinae in animis veritates oblivione obscurantur, quae noxiis perturbationibus coërcendis unae sunt aptae; spiritualium Exercitiorum ea propria vis est atque laus, quod veritates easdem novo quodam lumine perfundunt ac veluti sopitas excitant. Quia vero ex privatorum honestate morum consociationis humanae honestas exoritur; dubium non est quin secessus ii, in quibus caelestium veritatum commentatione occupamur, non in singulorum

modo, sed etiam in communem utilitatem cedant. — Id quidem provide nonnulli e Societate Iesu sensere alumni, in Gallia praesertim et Belgio. Qui quum nullam, quam operariorum classem, magis nunc temporis impeti malorum insidiis adverterent, fundatas in pios secessus domos operariis ipsis patere maxime voluerunt. Propositum quidem uberesque iam inde fructus sequutos Nos iucunditate summa cognovimus; non enim postrema aut minima curarum Nostrarum, quod acta a Nobis probant, operariorum utilitati ac bono censuimus adhibenda. Nolumus igitur egregias istas Alumnorum Societatis industrias iusta sine laude praeterire, easque ut Deus large obsecundet toto animo adprecamur. Quin vero excitari magis inter ipsos praeclarum hoc studium desideramus, ut quod in Gallia atque Belgio feliciter est institutum, ad ceteras etiam nationes pari cum emolumento propagetur. — Haec tu, dilecte fili, benevolentiae Nostrae et gratulationis sensa religiosis viris, quos moderaris, fac innotescant, illis cumprimis qui memorato operi laborem iam strenue impendunt. Quibus et universae Societati Iesu Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem ac munerum divinorum auspicem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Februarii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTAE FILIAE
IOSEPHAE DIGBY ANTISTITAE GENERALI
SORORVM A SACRO CORDE IESV

—

LEO PP. XIII

DILECTA FILIA
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Laetitiae sensus, quem catholici universi, toto hoc elabente anno, percipiunt ex Iubilaeo magno a Nobis indicto, tibi et Consociationi a Corde Iesu, cui praees, inde quidem augetur, quod hic idem annus centesimus vobis est ab Instituto vestro condito. Undecimo enim Kalendas decembres anno millesimo octingentesimo Venerabilis Magdalena Sophia Barat, mater vestra legifera, una cum tribus primis alumnis, nuncupatis Deo votis, sese animorum saluti addixere, puellis rite pieque educendis. Modica enimvero initia, ut turbulentissima tempora sinebant: sed quanta, unius saeculi spatio cepere incrementa! Exiguus namque numerus ad multa millia excrevit: et Sociarum labor ac studium, quae, initio, unius Galliae finibus coërcebantur, non ad Europae gentes modo, sed ad dis-

sitas etiam ac barbaras nationes pertigerunt. Iure igitur eo vestri intendunt animi ut, modeste quamvis intraque domesticos parietes, sollemnes Deo agatis gratias quod Institutum vestrum, praeterlapso tempore, tam benigne habuerit tantisque cumularit beneficiis. Nos autem id vehementer probamus tum quia gratus in Deum animus divinam sibi magis demeret clementiam, tum quia praeteritorum beneficiorum recordatione ad agendum alacrius incitatur voluntas. Quo vero iucunditati vestrae aliquid Nos etiam adiiciamus, occasionem hanc libenter nanciscimur ut caritatem in Sodalitium vestrum hisce litteris profiteamur; ac nova porro incrementa adprecantes, auspicem caelestium munerum, tibi ac singulis Instituti vestri alumnis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Februarii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO

RAPHAELI MERRY DEL VAL

PRAELATO NOSTRO DOMESTICO

PRAESIDI ACADEMIAE ECCLESIASTICAE VRBANAE

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sollertiae pietatisque tuae hunc etiam diligimus fructum, Sodalitium inter alumnos istius Academiae, et qui sunt et qui fuerunt, nuper initum, defunctis eiusdem praepositis alumnisque expiandis. Eiusmodi propositum, sanctum per se et salubre, aptisque legibus ut est constitutum, sane gratum fore et acceptum omnibus quorum interest opinamur. Ad Nos quod attinet, qui in eadem Academiae palaestra versati iam olim sumus, pro memori benevolentia qua ipsam vel privatim complectimur, novum hoc oblatum caritatis vinculum valde libet excipere et nomen Sodalitio nascenti consociare. Cui quidem ac tibi, divi-

norum munerum auspicem, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Martii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
CESLAO PABAN ET THOMAE PÈGUES
SODALIBVS EX ORDINE DOMINICANO
TOLOSAM

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Merita quidem laude eos libenter prosequimur qui doctrinarum Aquinatis studia, a Nobis tantopere excitata, aliis atque aliis modis curant provehenda. Horum in numero vosmetipsi estis, qui collatâ opera in id incumbitis ut scripta Ioannis Capreoli, qui ornamentum est istius civitatis et Ordinis vestri, nova instructa editione in medium referatis. Floret ille, vel quatuor post saecula, opinione hominum prudentiorum utpote qui eiusdem Doctoris sapientiam et a reprehensione aculeisque dissentientium tueri et recta interpretandi ratione illustrare probe contenderit. Utroque igitur capite initum a vobis consilium commendabile est; libetque de primo operis volumine iam emisso, quod a pietate vestra dono accepimus, gratulari.

Ut vero labores vestri ad optatum exitum pergant uberemque habeant fructum, Apostolicam vobis benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Martii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

PAROCHIALIS ECCLESIA

NATIVITATIS BEATAE MARIAE VIRGINIS VICTORIARVM

IN DIOECESI GAVDISIENSI

IN SAECVLAREM ET INSIGNEM COLLEGIATAM ERIGITVR

—

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

VENERABILI FRATRI EPISCOPO GAVDISIENSI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sanctae Romanae Ecclesiae gubernaculum Nos, licet immeriti, tenentes in terris, inter varias quibus continuo premimur sollicitudines, ad illas propensius excitamur, ut Nostrae provisionis auspiciis minores ecclesiae, praesertim curam animarum adnexam habentes ac Deiparae Virgini Mariae dicatae, novis et dignioribus titulis attollantur et beneficiorum ecclesiasticorum institutione decorentur, ministrorumque qui in eis laudes Deo persolvant numero augeantur; et ut pia Christifidelium ad haec tendentia vota optatos sortiantur effectus, opem et operam Nostras, quantum Nobis cum Domino licet, impendimus efficaces, prout ad divini nominis exaltationem et fidelium

devotionis excitationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud Sedem Apostolicam quomodolibet tunc vacantia et in posterum vacatura collationi et dispositioni Nostrae reservavimus. Decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari.

Cum itaque postmodum Parochialis Ecclesia, Archipresbyteratus nuncupata, Nativitatis Beatae Mariae Virginis Victoriarum etiam nuncupatae, Oppidi Casal Caccia Gaudisiensis dioecesis, per liberam resignationem dilecti filii Iosephi Diacono nuper ipsius Parochialis Ecclesiae Rectoris de illa, quam tunc obtinebat, in manibus Nostris sponte factam et per Nos admissam, apud sedem eamdem vacaverit, et vacet ad praesens, nullusque de illa praeter Nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: et sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Iosephi ac dilecti etiam filii Angeli Bajada presbyteri dictae Gaudisiensis dioecesis a dilectis quoque filiis clero et populo dicti Oppidi deputatorum, petitio continebat, quod inter loca quae dictam Gaudisiensem dioecesim constituunt, idem oppidum, sive naturali sua positione, sive florenti commercio et industriis, sive pluribus aliis adiunctis, tamquam unum ex praestantioribus merito recensetur: (in suo enim quo late se protendit ambitu, duo cum quingentis ipsum continet plus minus incolarum millia, inter quos sufficiens clerus

presbyteris et clericis saecularibus constans; pleraeque non vulgares et honestae familiae fortunae bonis opibusque pollentes adnumerantur, quae in communis societate vitae decorum quemdam gradum eorum statui et conditioni respondentem constituentes, ad civilem ipsius oppidi socialem cultum plurimum conferre dignoscuntur: tres inibi, praeter supra dictam parochialem, extant filiales Ecclesiae, altera scilicet eidem Beatae Mariae Virgini a Carmelo, altera divo Paulo Naufrago, ac reliqua sancto Antonio Abbati respective dicatae; inter has vero praefata parochialis Ecclesia iure meritoque eminet, quae recens extructa pulcherrimam et elegantem praefert architecturam, et amplitudine cunctas praefatae Gaudisiensis dioecesis praecellit ecclesias: tres insuper laicorum sodalitates illic adsunt erectae, altera a Ssmo Sacramento, altera a Ssmo Rosario, et reliqua a sancto Iosepho respective nuncupatae; sacris quibusque supellectilibus aliisque ad rem divinam necessariis abunde ipsa est instructa, ac demum praeter varias Sanctorum reliquias, corpus sancti Fortunati, quem peculiari cultu dicti oppidi incolae venerantur, religiosissime ac magno honore in ea asservatur): ut igitur novus gloriae et honorificentiae titulus memorato oppido adiiciatur, atque in dicta parochiali ecclesia divinus cultus solemni divinorum officiorum celebratione promoveatur, clerus et populus praedicti gratiam, qua eadem parochialis ecclesia ad Collegiatae dignitatem et honorem eveheretur ab Apostolica hac Sede efflagitandi sibi in animo proposuerunt: ad quod quidem

opus perficiendum, et ad consulendum expensis ad id omnino necessariis, infrascripti dilecti filii operam ac manus admovere opportunas; ac propterea mediantibus publicis instrumentis a dilecto etiam filio Honorato Ioanne Refalo in illis partibus Notario respective confectis, Angelus Maria Bajada presbyter, videlicet, et Rosa Bonello, et Anna etiam Bajada, et Rosa Cordina, et Franciscus et Catharina Galea coniuges pro uno in dicta parochiali erigendo canonicatu annuum reditum sex sterlingarum monetae illarum partium; ac Ioseph Rapa alium pariter sex sterlingarum pro alio, ac Franciscus Sultana presbyter, et Maria Galea, et Vincentia vidua quondam Natalis Cassar, et Ioannes Baptista, Ioseph, Maria et Anna respective fratres et sorores Cassar, et Aloisius Sultana, et Franciscus Said, et Liberatus Gald alium similiter sex sterlingarum huiusmodi pro alio, ac Salvator et Maria Attard coniuges, et Laurentius, Catharina et Rosa Spiteri, et Maria vidua quondam Iosephi Xerri, et Ioseph etiam Xerri, et Ioannes ac Rosaria Spiteri coniuges, et Ioannes Baptista et Catharina Cassar, ac Ioseph et Maria Galea coniuges alium quinque sterlingarum et quinque scellinorum pro altero, ac Michael Sultana, et Andreas Sacco, et Maria vidua quondam Iosephi Xuereb, ac Rosa Cordina, et Angela vidua quondam Iosephi Gald, et Rosa vidua quondam Laurentii Grech, et Iosepha Said, et Francisca Attard, et Ioseph Cordina, et Ioseph Said, et Francisca vidua quondam Francisci Kaber alium quinque pariter sterlingarum pro altero; ac Ioseph Portelli pre-

sbyter, et Andreas Xerri, et Aloisius Attard, et Michael Borg, et Salvator Agius, et Maria vidua quondam Iosephi Xerri, et Michael Itilo, et Maria vidua quondam Michaelis Attard, et Angela Sultana alium pariter quinque sterlingarum pro altero, et Carmelus Sultana presbyter, et Ioseph Attard, et Andreas Sacco, et Ioanna vidua quondam Iosephi Spiteri, et Angelus Galea, et Laurentius etiam Galea, et Maria vidua quondam Iosephi Cini, et Ioseph ac Maria Portelli coniuges, et Lazarus, Aloisius, Franciscus et Michael etiam Portelli, et Aloisius Sultana, et Felix Magro, et Rosanna Gauci alium pariter quinque sterlingarum pro altero, et Andreas Xerri, et Franciscus Said, et Vincentia vidua quondam Francisci Azzopardi, et Angela Sultana, et Maria Dolorosa Farrugia, et Paulus Camilleri presbyter, ac Vincentia etiam Camilleri, et Salvator et Anna Attard coniuges similiter alium quinque pro altero, ac demum Ioseph Spiteri presbyter alium respective annuos reditus aliarum quinque sterlingarum praedictarum pro reliquo canonicatibus et praebendis inibi erigendis, sive in bonis stabilibus, sive in censibus, sive in numerata pecunia respective constituerunt et assignarunt, prout in singulis praefatis instrumentis plene constat, ac in eis latius et fusius continetur.

Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si praefata Parochialis Ecclesia perpetuo, ut infra, supprimeretur, eaque sic suppressa, eadem in Insignem Collegiatam Ecclesiam atque in ea unus Archipresbyteratus, ac Canonicatus et Praebendae infrascripti erigerentur, alia-

que per Nos pariter, ut infra, fierent et ordinarentur, hoc sane praeterquam quod singularem dicti Oppidi testaretur insignitatem, in maiorem Dei Deiparaeque Virginis gloriam et honorem ac divini cultus augmentum, et in spiritualem praefatorum cleri et populi consolationem profecto redundaret: quare pro parte primo dictorum Iosephi et Angeli Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus piis ipsorum desideriis huiusmodi in praemissis annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui pro Nostri pastoralis officii debito divini cultus incrementum procurare et promovere tenemur, eosdem Iosephum et Angelum ac clerum et populum praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsosque atque omnes et singulos quibus praesentes litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non assignationes et constitutiones praedictas Apostolica auctoritate approbantes et confirmantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint ad id vocandi, et sine alicuius praeiudicio, Parochialem Ecclesiam praedictam sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem, vel aliam liberam primo dicti Iosephi, vel cuiusvis alterius resignationem de illo in Romana Curia, vel extra eam, etiam

coram Notario publico et testibus sponte factam, aut Constitutionem fel. rec. Ioannis Papae XXII Praedecessoris Nostri quae incipit « Execrabilis » vel assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, non tamen per obitum, vacet, etiamsi dicta Parochialis Ecclesia dispositioni Apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo illius dispositio ad Nos hac vice pertineat, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, essentiam et naturam Parochialis Ecclesiae collativae, ita quod illa ex nunc collativa esse desinat, et de cetero uti talis quavis auctoritate conferri aut impetrari, aut alias de illa etiam praevio concursu disponi ullatenus nunquam possit et si eam conferri aut impetrari seu alias de ipsa disponi quovis modo contigerit, collationes, impetrationes, provisiones et quaevis aliae de ea dispositiones huiusmodi pro tempore quomodolibet factae nullius sint roboris vel momenti neminique suffragentur, nec coloratum titulum cuiquam tribuant possidendi, Auctoritate Nostra perpetuo supprimas et extinguas.

Illisque sic suppressis et extinctis, eamdem Parochialem Ecclesiam in saecularem et Insignem Collegiatam, Parochialem uti antea extituram, Ecclesiam sub ipsa Nativitatis Beatae Mariae Virginis Victoriarum invocatione cum suis Capitulo, Choro, Stallo, Mensa Capitulari, Arca, Bursa et Sigillo communibus, omnibusque aliis Collegialibus signis et insigniis, praerogativis, privilegiis, immu-

nitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus et gratiis aliis saecularibus et insignibus Collegiatis, quae etiam Parochiales existant, Ecclesiis de iure, usu, stylo, consuetudine, aut alias quomodolibet, non tamen ex Indulto seu privilegio particulari concessis et competentibus, vel titulo oneroso acquisitis, et in ea unum Archipresbyteratum qui inibi dignitas principalis, unica et curata existet, Sedisque Apostolicae dispositioni semper et perpetuo sit reservatus, et de quo praevio concursu ad sacrosancti Concilii Tridentini et Apostolicarum constitutionum normam disponi debeat, pro uno Presbytero in sacra theologia magistro, aut in utroque iure doctore, vel licentiato, futuro illius Archipresbytero, qui eiusdem Parochialis Ecclesiae in Collegiatam, ut infra, erigendae illiusque Capituli caput existat, et in Choro et Capitulo processionibus et actibus capitularibus aliisque publicis et privatis quibusvis functionibus ecclesiasticis praesit, ac praecedentiam et praeeminentiam primumque et digniorem locum, ac vocem et votum in eodem Capitulo habeat, cuique universa et omnimoda dilectorum etiam filiorum Parochianorum eiusdem Parochialis in Collegiatam, ut praefertur, erigendae Ecclesiae, quae illius Rectori ante suppressionem huiusmodi imminebat animarum cura, immineat absque ulla omnino variatione, et privativa, quoad infrascriptos Canonicos, qui nullum omnino ius aut ingerentiam habeant sive quoad eamdem animarum curam, sive quoad Ecclesias filiales, sive quoad alia ad eum iam uti Parochum spectantia, ac novem Canonicatus totidem-

que Praebendas pro totidem Presbyteris seu Clericis in sacro saltem subdiaconatus ordine constitutis, qui una cum dicto Archipresbytero, praefatae Parochialis in Collegiatam, ut praefertur, erigendae Ecclesiae Capitulum constituant, et apud illam personaliter residere, ac inibi singulis dominicis aliisque de praecepto festis diebus horas canonicas, diurnas et nocturnas, ceteraque divina officia collegialiter, et cum debita mentis attentione servataque ecclesiastica disciplina recitare et psallere, ac respective adimplere, eidemque Ecclesiae in Collegiatam, ut praefertur, erigendae laudabiliter inservire, omniaque et singula onera, eis respective incumbentia supportare debeant et teneantur, ac omnibus pariter et singulis privilegiis, favoribus, praerogativis, honoribus, exemptionibus aliisque quibus alii aliarum Collegiatarum Ecclesiarum illarum partium Canonici de iure, usu et consuetudine utuntur, fruuntur et gaudent, dummodo tamen illa ex peculiari indulto concessa non sint, pariter uti, frui et gaudere possint et valeant, eadem auctoritate Nostra etiam perpetuo erigas atque instituas.

Ad dictos autem Canonicatus et Praebendas, quoties illos et illas pro tempore quovis modo vacare contingat, presbyteros vel clericos de genere personarum a praefatis Fundatoribus in memoratis instrumentis respective designatarum vocari atque ad eos et eas assumi debere, pari auctoritate Nostra declares.

Illisque sic erectis et institutis, pro Mensae Capitularis nec non Archipresbyteratus ac Canonicatuum et Prae-

bendarum praedictorum per te, ut praefertur, erigendarum respective dote, illumque et illos ac illas pro tempore obtinentium congrua sustentatione ac onerum illis etiam respective incumbentium supportatione, Archipresbyteratui videlicet omnes et singulos praefatae Parochialis Ecclesiae in Collegiatam per te, ut praefertur, erigendae fructus, reditus et proventus, bona, proprietates, primitias, iura, res, obventiones et emolumenta quaecumque cuiusvis generis tam certa, quam incerta ex animarum curae exercitio quovis titulo provenientia et ad ipsam iam antea spectantia, Canonicatibus vero et Praebendis praedictis, cuilibet eorum omnia et singula bona, census, canones, legata, numeratam pecuniam aliaque quaecumque a praefatis fundatoribus, ut supra, constituta et assignata et in memoratis instrumentis singillatim et respective descripta. ita quod liceat futuris Archipresbytero singulisque enunciatae erigendae Collegiatae Ecclesiae Canonicis illorum omnium et singulorum praedictorum quorumcumque veram. realem et corporalem possessionem per se, vel alium, aut alios eorum nomine. libere apprehendere et apprehensam retinere, fructusque, reditus et proventus ac emolumenta huiusmodi percipere, exigere, ac in suos usus et utilitatem convertere, pari auctoritate Nostra perpetuo item applices, attribuas atque appropries.

Ac insuper pro divini cultus amplitudine, dictaeque Parochialis Ecclesiae in Collegiatam, ut praefertur, erigendae decore illiusque Capituli ornamento et splendore, memoratis Archipresbytero et Canonicis eorumque in prae-

fatis Archipresbyteratu et Canonicatibus ac Praebendis successoribus pro tempore existentibus, ut ipsi videlicet Rocchetum et Cappam magnam coloris violacei armerino subsectam, ad instar alterius Collegiatae Ecclesiae oppidi Nadur eiusdem Gaudisiensis dioecesis, tam in eadem Collegiata Ecclesia illiusque Choro et Capitulo, quam extra eam, etiam in processionibus, aliisque omnibus ecclesiasticis functionibus, etiam in praesentia S. R. E. Cardinalium etiam de Latere Legatorum, Vice-Legatorum et Sedis Apostolicae Nuntiorum, Archiepiscoporum et Episcoporum ac Ordinarii etiam proprii, palam et publice quibuscumque anni temporibus et diebus deferre et gestare, illisque uti libere et licite valeant, nec non dicto Capitulo privilegium praeferendi Clavam, ac insuper memorato Archipresbytero eiusque similiter successoribus ut ipse Capitulum (quoties opportunum iudicaverit) convocare valeat, simili Nostra auctoritate perpetuo respective concedas et indulgeas.

Ac praeterea eisdem Archipresbytero et Canonicis, ut ipsi capitulariter congregati, pro eiusdem Parochialis in Collegiatam, ut praefertur, erigendae Ecclesiae illiusque Chori, Mensae Capitularis, nec non Sacristiae earumque rerum, bonorum et iurium tam spiritualium, quam temporalium prospero ac felici statu et regimine, gubernio ac directione, onerum quoque illis respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum funeralium et anniversariorum celebratione, distributionum quotidianarum constitutione, illarumque et aliorum quorumcumque emolumentorum exactione et repartitione, poe-

narumque per absentes et divinis officiis suis loco et tempore non interessentes, seu onera et ministeria eis et cuilibet eorum incumbentia obire negligentes incurrendarum incursu, ac quibusvis aliis rebus in praemissis et circa praemissa quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes ac decreta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et Apostolicis constitutionibus ac decretis Concilii Tridentini minime adversantia, et per Ordinarium loci, ut legis vim habeant, prius examinanda et approbanda, edere et redigere libere et licite valeant, licentiam et potestatem ac facultatem auctoritate Nostra praedicta concedas et impertiaris.

Ac demum praedictis fundatoribus eorumque respective descendentibus et successoribus ius patronatus et praesentandi ad dictos Canonicatus et Praebendas tam prima hac vice, quam quoties illos quovis modo vacare contigerit, personas idoneas ut supra qualificatas coram Ordinario loci in eis ad praesentationem huiusmodi, per eumdem Ordinarium aut alios canonice instituendas, simili auctoritate Nostra concedas et assignes, ac dictum ius patronatus et praesentandi vere laicorum existere, ipsisque fundatoribus eorumque descendentibus et haeredibus praefatis non ex Apostolico privilegio, sed ex vera, reali et actuali fundatione et perpetua dotatione laicali ex bonis mere laicalibus facta competere, pariter auctoritate Nostra declares.

Nos enim suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, applicationem, appropriationem, attributionem, concessiones, indultum, facultatis impertitionem et

declarationes huiusmodi, si et postquam illa per te vigore praesentium facta fuerint, ac easdem praesentes et omnia in eis contenta nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet ex causa de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quopiam defectu quamtumvis substantiali ac specialem mentionem requirente notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam vocari, ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere fore, illasque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, erogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes quomodolibet factis et faciendis ac concessis et concedendis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Archipresbyterum ac Capitulum et Canonicos dictae Parochialis Ecclesiae in Collegiatam, ut praefertur, erigendae quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, vel dignitate

fulgentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos dictaeque Sedis Nuncios praefatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Et nihilominus eidem Fraternitati tuae per eadem Apostolica scripta mandamus, quatenus Archipresbyteratum praedictum per te, ut praefertur, erigendum, cuius, et illi forsan adnexorum, fructus, reditus et proventus bismille tercentum quinquaginta unius, computatis vero distributionibus quotidianis aliisque incertis bismille nongentarum sexaginta trium libellarum currentis italicae monetae secundum communem aestimationem valorem annuum, ut primo dictus Iosephus asserit, non excedunt, a primaevis illius erectione et institutione huiusmodi vacantem, cum illi forsan adnexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis primo dicto Iosepho absque novo concursu et absque examine auctoritate Nostra praefata conferas et assignes; inducens per te, vel alium, seu alios primo dictum Iosephum, recepto prius ab eo Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam quam sub Bulla Nostra mittimus exaratam, vel eius nomine procuratorem, in corporalem possessionem dicti Archipresbyteratus ac adnexorum, iuriumque et pertinentiarum praefatorum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet

detentore, ac faciens primo dictum Iosephum, vel pro eo procuratorem praefatum ad Archipresbyteratum huiusmodi, ut est moris, admitti, eique de ipsius Archipresbyteratus ac adnexorum eorumdem fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis integre responderi: contradictores auctoritate Nostra praedicta, appellatione postposita compescendo.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula – De exprimendo vero annuo valore Beneficiorum in illorum suppressione – ac – de iisdem suppressionibus ad partes committendis vocatis quorum interest – ac Lateranensis Concilii novissime celebrati suppressiones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et

sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse pro hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus dictae Parochialis in Collegiatam, ut praefertur, erigendae Ecclesiae speciales, vel alias de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus, generales Apostolicae Sedis, aut Legatorum eius litteras impetraverint, etiamsi per eos ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus primo dictum Iosephum in assequutione dicti Archipresbyteratus per te, ut praefertur, erigendi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem dignitatum, vel beneficiorum aliorum praeiudicium generari.

Seu si pro tempore existenti Episcopo Gaudisiensi, vel quibusvis aliis, communiter, aut divisim, ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem, vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de Dignitatibus ac de quibusvis aliis Beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, aut quamvis aliam dispositionem coniunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nos autem primo dicto Iosepho ut ipse, ratione dicti Archipresbyteratus per te, ut praefertur, erigendi, gradum

Magisterii in theologia, vel Doctoratus aut Licentiaturae in decretis suscipere minime teneatur, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis praefatis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate concedimus et indulgemus.

Volumus autem quod si apparuerit antea per primo dictum Iosephum super resignatione dictae Parochialis Ecclesiae alium consensum praestitum et extensum fuisse, praesens gratia nulla sit eo ipso.

Volumus etiam quod primo dictus Ioseph, antequam dicti Archipresbyteratus possessionem adipiscatur, fidei catholicae professionem iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos in manibus tuis, ac dilecti etiam filii tui Vicarii in spiritualibus generalis expresse emittere, illamque sic emissam, ad dictam Sedem sine mendis cum sui et tui ac Vicarii praefati subscriptione quanto citius transmittere omnino teneatur, alioquin Archipresbyteratus praefatus vacet eo ipso. — Et insuper quod dictum Archipresbyteratum, prout est, irritum et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo nono [1], septimo Idus Martii, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

[1] A Nativitate MDCCCC.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IOANNI BAPTISTAE ANZER EPISCOPO TELEPTENSI

VICARIO APOSTOLICO CHANTONG MERIDIONALIS IN SINIS

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Etsi tua in agendis tractandisque negotiis istius provinciae solertia et prudentia multo ante Nobis perspecta est et cognita, qua de causa non semel meritis te laudibus sumus prosequuti; tamen quae novissime praestitisti gratiora etiam acciderunt, affeceruntque animum Nostrum iucundissime. Nobiscum enim plane facis quum iudicas, ad imperitorum animos, sive in fidei veritate retinendos, sive cetero cultu atque humanitate expoliendos plurimum conferre publica diaria. Optimum igitur tuum illud consilium fuit sinensis edendae ephemeridis, quae audaciorибus opinionum commentis et irruenti in istas etiam dissitas plagas scriptorum licentiae opportune obiiceretur. Perge, Venerabilis Frater, magno erectoque animo nervos omnes intendere, tamquam agricola vigilans, tuae vineae

excolendae arcendisque ab ea furibus. Ad ephemeridem autem alacrius usque persequendam atque constantius, stimulum addat cogitatio, « si tamen opus est incitari currentem », quidquid laboris in ipsam contuleris magno usui fore et religioni et civitati, Nobisque cumulate satisfacturum. Quae omnia ut prospere et e sententia cedant, omnis caelestis gratiae plenitudinem tibi enixe imploramus ab Eo, qui plantanti et riganti dat incrementum; eiusque auspicium gratiae ac sincerae Nostrae dilectionis testem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuoque clero ac fidelibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Martii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS APVLAE PROVINCIAE
AC DILECTIS FILIIS
QVI CATHOLICVM COETVM TARENTI CELEBRARVNT

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gloriosi nominis haeredibus vobis, quod a maioribus acceptum sedulo retinere studetis, magnopere gratulamur. Spectata enim virtute concordiaque effecistis, ut primus e gente vestra catholicorum conventus Tarenti habitus bene prospereque absolveretur. Coeptis autem in dies perficiendis non modo iuverit avitae laudis recordatio, sed praecipue fiducia ex praesenti tutela hinc Michaelis ex arce Gargani vos strenue tuentis, inde caelestis Reginae Victricis ad Leucam. Uterque locus, dum fracti Saracenorum impetus perenni vobis monumento est, pignus exhibet constantis praesidii adversus recentiorum hostium insidias. Tanto autem patrocinio vos usque dignos futuros pollicentur et coniuncta fides, qua rei catholicae inter

vos incrementa curastis, et pietatis obsequium quod huic Apostolicae Sedi, stipe etiam collata, significastis amplissime. Quae omnia dum libenti gratoque animo excipimus, vestri operis fructum ominamur in dies uberiorem; eique cupimus auspicem esse Apostolicam benedictionem, quam paternae praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, unicuique vestrum, Venerabiles Fratres et dilecti filii, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Martii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FRANCISCO MARIAE EPISCOPO
CAPITIS HAITIANI
ADMINISTRATORI APOSTOLICO PORTVS PACIS

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Accepimus plenam officii epistolam, quam tu, Venerabilis Frater, universusque tecum clerus ex utraque ista dioecesi ad Nos communiter dedistis, cum religioni invicem refovendae et dioecesanae celebrandae Synodo una simul essetis. Etsi enim qua Nos observantia coleretis, perspicuum erat, placuit tamen novum hoc habere testimonium animi vestri et pii in Nos, et grati, et obsequentissimi. Nam pietatis quidem vestrae praeclarum quoddam indicium fecit Nostra haud ita pridem valetudo. quae cum in gravi versaretur discrimine, anxios sollicitosque vos ad Deum tenuit, cum postea divino est beneficio confirmata, gratulabundos laetosque omnibus laetitiis. Amplectimur etiam istos quos profitemini gratiae sensus ob accepta

proxime a Nobis tum communia tum propria Pontificalis providentiae, Deo iuvante, munera; nominatim ob Concilium Episcoporum ex America Latina, auspiciis vigilantiaque Nostra coactum absolutumque. De eo autem, quod voluimus universitatem humani generis sacratissimo Cordi Iesu dicatam devotamque, illud laudamus quod praestitistis praescriptis Nostris obsequium, cum devotionem huiusmodi in populo vestro religiose peregistis. Iam restat ut anni sacri celebritatem, quam ipsam grate commemorastis, plenam vobis lectissimorum a Deo munerum precemur; quorum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, eisque qui suum tecum adscripsere nomen, et fidelibus omnibus tuae curae commissis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Martii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
SEBASTIANO S. R. E. CARDINALI GALEATI
ARCHIEPISCOPO RAVENNATIVM

RAVENNAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non semel Nos neque uno modo Ravennatium pietatem erga sanctissimam Dei Matrem, quam in vetusta Effigie Graeca ab avis et maioribus venerantur, libentes fovimus et proveximus. Nuper autem attulerunt tuae litterae, propediem condi octavum saeculum ex quo mirabiliter, prout habetis religiose traditum, ea ipsa Effigies est ab oriente in oras istas advecta: eius rei gratiâ sollemnia sacra singulari quodam nitore templi et pia animorum cultura apparari, quae aliquot Cardinalium et Episcoporum augustiora efficiet praesentia. Haec Nobis quidem et laetitiam pariunt et pastorale tuum studium iam probe cognitum eo amplius commendant; qui quum spectas ad honoris incrementum Patronae benignissimae, spectas idem ad

populi tui, per haec maxime tempora, utilitates non fluxas. Quibus enim in civitatibus sincera in Mariam religio radices alte firmarit, inde viget in eis floretque pulcrius omnis christianae vitae laus, ad publicam quoque et domesticam prosperitatem sane quam frugifera. Quapropter hoc restat, ut multiplici navitati tuae, eorumque coetuum qui saeculari celebritati instruendae operam contulerunt, ordines civium omnes magis magisque alacres in gloriam magnae Virginis obsecundent; id quod exoptamus splendide eveniat. Atque adeo spes est, ex dono ipso aurei diadematis, quod de communi pietate mox venerandae Imagini accedet, consecuturum feliciter, ut civitas in obsequio Reginae suae caelestis arctius usque devinciatur, utque misericordiae eius ad vota civium et advenarum uberius affluant beneficia.

Tu autem, dilecte fili Noster, feceris Nobis pergratum, si constituta inter sollemnia aliquid supplicationis pro tua prudentia indixeris, etiam ad reconciliationem gentium quae ab Ecclesia catholica dissident implorandam. Nosti quantopere Nos in hanc causam caritas urgeat Christi, et quam benigne Nostrae providentiae coeptis fautrix eius gratia adspiret. Quantum vero cum re vestra praesenti desiderium Nostrum, praesertim ad orientales quod attinet, congruere videatur, ex his collige quae subiicere libet, iampridem perscripta a Nobis in litteris encyclicis *Adiutricem* (v Septembris anno MDCCCXCV). « Igno-
« rat nemo, augustas divinae Matris imagines ex oriente,
« variis temporum casibus, in occidentem maximeque in

« Italiam et in hanc Urbem, complures fuisse allatas: « quas et summa cum religione exceperunt patres magni- « ficeque coluerunt, et aemula nepotes pietate habere « student sacerrimas. Hoc in facto gestit animus nutum « quemdam et gratiam agnoscere studiosissimae Matris. « Significari enim videtur, imagines eas perinde extare « apud nostros, quasi testes temporum quibus christiana « familia omnino una ubique cohaerebat, et quasi com- « munis hereditatis bene cara pignora: earumdem pro- « pterea adspectu, velut ipsa Virgine submonente, ad « hoc etiam invitari animos ut illorum pie meminerint « quos Ecclesia catholica ad pristinam in complexu suo « concordiam laetitiamque amantissime revocat ».

Iamvero divinorum munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem, benedictionem Apostolicam et tibi et Venerabilibus Fratribus istuc proxime conventuris, omnique clero et populo tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Aprilis MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

DECRETVM

DE ERECTIONE NOVAE DIOECESIS « DE MANIZALES »
IN COLVMBIANA REPVBLICA

—

Apostolicae Sedi enixis et iteratis precibus supplicatum fuit, ut, quibusdam divulsis territoriis e dioecesibus Popayanensi et Medellensi in Columbiana Republica, nova ex iisdem constitueretur episcopalis Ecclesia in civitate vulgo Manizales appellata in eadem Republica. Ea enim inter civitatem Manizales et civitates Popayanensem et Medellensem intercedit locorum distantia, adeo postremis hisce temporibus in eadem civitate et adiacentibus regionibus excrevit populi multitudo, ut novam ibidem erigere dioecesim non modo ad consulendum spirituali animarum bono peropportunum, sed necessarium omnino videatur. Episcopi vero Popayanensis et Medellensis, e quorum dioecesibus, novae constituendae episcopali Sedi de Manizales, territorii partem utrinque distrahi oportet, in propositam dismembrationem pro sua quisque parte assensum suum praestiterunt. Collatis autem super hac re consiliis cum gubernio Columbianae Reipublicae iuxta conventionem cum eodem gubernio initam anno MDCCCLXXXVII, ac omni-

bus quae ad hoc negotium pertinebant, Sanctissimo D. N. Leoni Papae XIII accurate, ut par est, expositis ac relatis, Sanctitas Sua, rebus mature perpensis, ac spiritualibus fidelium utilitatibus meliori, quo fieri potest modo, occurrere volens, novi Episcopatus erectionem in Ecclesiae bonum cessuram et spirituali animarum saluti profuturam probandam censuit, et preces benigne excipiens, de Apostolicae potestatis plenitudine, novam episcopalem sedem in civitate vulgo Manizales dicta Columbianae Reipublicae erigendam decrevit in eum, qui sequitur, modum.

I.

Primum itaque Sanctitas Sua territoria, quae finibus infra designandis continentur, quaeque actu ad dioeceses Popayanensem et Medellensem pertinent, ab his dioecesibus avulsit, separavit ac seiunxit, in novam ac distinctam dioecesim erigenda; atque hac divisione ac separatione facta, territoria praedicta dioecesi novi Episcopatus a civitate episcopali de Manizales nuncupandi, ubi novus Episcopus eiusque in episcopatu successores semper residere debebunt, perpetuo assignavit et attribuit, omnesque habitatores et incolas utriusque sexus tam laicos quam clericos et religiosos, non tamen exemptos, in territoriis, ut supra, degentes, nec non Ecclesias, Conventus, Monasteria, pia Instituta, si quae adsint, et alia quaecumque saecularia ac regularia beneficia ab ordinaria iurisdictione Antistitum Popayanensis et Medellensis, nec non ab omni

iure Capituli Canonicorum utriusque Cathedralis Ecclesiae perpetuo exemit et disiunxit, ac episcopali Ecclesiae de Manizales noviter, ut praefertur, erectae, eiusque futuro Praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero ac populo perpetuo supposuit atque subiecit.

II.

Novae autem dioecesis fines ii sunt, qui in folio ad calcem huius decreti adiecto expresse itala lingua describuntur, toto circumscriptionis ambitu accurate designato iuxta eam territorii partem, quam pro sua quisque parte Episcopi Popayanensis et Medellensis ad novae dioecesis erectionem sponte et libere cesserunt.

III.

Mandavit praeterea Sanctitas Sua ut civitas Manizales vulgo dicta, in civitatem episcopalem, a qua nova dioecesis nuncupanda erit, erigatur cum suis iuribus, honoribus et praerogativis, quibus aliae in Columbiana Republica existentes civitates, pontificali Sede insignitae, et earum cives utuntur et gaudent.

IV.

Ecclesiam parochialem in memorata civitate Manizales existentem, honori Beatae Mariae Virginis de sanctissimo

Rosario dicatam, Sanctitas Sua in cathedralem Ecclesiam novae dioecesis sub eodem titulo et invocatione nuncupandam constituere dignata est, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro uno Episcopo de Manizales appellando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi, ut supra, constituendae praesit, Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae in Columbiana Republica existentes cathedrales Ecclesiae, earumque Praesules, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto peculiari gaudent et gaudere poterunt, de Apostolicae potestatis plenitudine erigere et instituere.

V.

Cum autem maxime intersit, ut necessariis proventibus et redditibus episcopalis mensae de Manizales doti consulatur, illud summopere in votis habet Sanctitas Sua ut fideles praedictam civitatem Manizales incolentes, aliique in territorio novae dioecesis degentes, quorum spirituali utilitati novae huius Sedis erectione consulitur, piis oblationibus et decimarum solutionibus opem et subsidia conferant, unde novus Episcopus eiusque successores dignitatem episcopalem decenter tueri valeant, et unde divino cultui, sacrorum ministrorum necessitatibus

et dioecesanis operibus opportune provideatur, cum novae constituendae dioecesi nulla alia temporalia bona praesto sint, nisi ea quae a pietate et liberalitate fidelium proficiscuntur.

VI.

Novus autem Episcopus cathedralis Ecclesiae Capitulum iuxta canonicas sanctiones, cum primum fieri poterit, erigendum curabit, servato Canonicorum numero, servatis iisdem dignitatibus aliarum Ecclesiarum cathedralium, quae in Columbiana Republica iam constitutae sunt. Interea, donec cathedrale Capitulum compositum fuerit, Episcopus peculiare consilium sibi ex probatis et prudentibus viris assumet, et eorum prudentiae adiumento in maioribus expediendis suae dioecesis negotiis utetur.

VII.

Ubi vero cathedralis Ecclesiae Capitulum, cum fieri poterit, fuerit canonice constitutum, facultatem ipsi Sanctitas Sua concedit, statuta, ordinationes et decreta iuxta Sacrorum Canonum, et praecipue Tridentinae Synodi praescriptiones conficiendi, quae tamen ordinarii Antistitis cognitioni et approbationi subiicienda erunt, nec non facultatem gaudendi privilegiis omnibus ad instar aliarum Cathedralium in Republica Columbiana existentium, non tamen titulo oneroso aut ex speciali indulto acquisitis.

VIII.

Illud autem Sanctitas Sua vehementer exoptat et praecipit, ut novus Episcopus de Manizales impigram sedulamque det operam sacro Seminario iuxta Tridentini Concilii praescripta, in sua dioecesi, cum primum fieri poterit, constituendo, omni cura adhibita ut in eo alumnorum pietas, morum probitas vigeat ac floreat, et doctrina tum philosophica tum theologica, praesertim ex fontibus Angelici Doctoris hausta, sacrae iuventuti tradatur.

IX.

Iniunxit pariter Sanctitas Sua, ut omnia et singula documenta ecclesiastica respicientia territoria quae hactenus ad dioeceses Popayanensem et Medellensem pertinuerunt, quaeque novae dioecesi de Manizales attributa hoc decreto sunt, a Cancellariis praedictarum dioecesium extrahantur, et cancellariae noviter erecti Episcopatus, in qua asservari debebunt, cum primum fieri poterit, tradantur.

X.

Hanc porro dioecesim de Manizales noviter, ut supra, erectam, Sanctitas Sua suffraganeam Archiepiscopi Popayanensis in Columbia declaravit, atque eiusdem Archiepiscopi Metropolitico iuri subiecit.

XI.

In hac autem nova episcopali Ecclesia constituenda, et limitibus eidem attribuendis, expresse Sibi et Apostolicae Sedi Sanctitas Sua facultatem reservavit novam eiusdem dioecesis dismembrationem seu circumscriptionem libere faciendi, quandocumque id expedire in Domino visum fuerit, quin ullum in id Antistitis et Capituli cathedralis assensum exquiri, aut territorialem ullam compensationem constitui et attribui necesse sit.

XII.

Ea tandem omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quorum expressa mentio in hoc consistoriali Decreto facta non est, statuit Sanctitas Sua firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam manere debere. Si qua tamen difficultas aut controversia, quoad praemissa, in nova erecta dioecesi oritura sit, ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XIII.

Episcopalem hanc Ecclesiam de Manizales nuncupandam iussit Sanctitas Sua, habita ratione conditionis temporum, in florenos auri de Camera triginta tres cum

9319

tertia floreni parte taxari, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi debere.

XIV.

In executorem denique huius Decreti, ex speciali gratia perinde valituri ac si litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo expeditae fuissent, eadem Sanctitas Sua R. P. D. Antonium Vico Archiepiscopum titularem Philippensem et Delegatum Apostolicum apud Columbianam Rempublicam deputavit, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum de quo agitur, nec non cum facultate eidem R. P. D. Antonio Vico sive eius subdelegando definitive pronuntiandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, et cum iniunctione intra quinque menses transmittendi ad hanc Sacram Congregationem Consistorialem acta et decreta, authentica forma exarata, quae in hac executione conficienda erunt; mandavitque praesens expediri Consistoriale Decretum et referri in acta Sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XI Aprilis MCM.

† Carolvs Patriarcha Antiochenvs
S. C. C. *Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOACHIMO SESTILI THEOLOGO

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ingenium curasque tuas ad rem appulisti aeque decoram tibi ac studio sapientiae utilem, cui sane hominum recte sentientium defutura non est comprobatio. Quippe operam in id impendere, ut Aquinatis doctrina, conclusa libris aureis Summae contra Gentiles, et latius propagetur et uberius percipiatur, est profecto de christiana philosophia bene omnino mereri. Hoc tu nimirum praestare aggressus es, nova Commentariorum Ferrariensis in eosdem libros adornata editione; qui scriptor iure inter optimos in eo genere numeratur. Placet igitur propositum tuum pro merito commendare; eoque libentius facimus quod plane profiteris, ad haec studia te ideo esse adductum et quasi incensum, ut Nostris de colenda philosophia tum praescriptis tum hortationibus omni qua decet filium pietate obtemperares. Istum pietatis animum, Deo acceptum et

Nobis, religiose apud te foveas velimus: inde quidem consilia viresque hauries ad alia eiusmodi pari cum fructu atque ampliore suscipienda. Iamvero auspicem divinorum munerum habe Apostolicam benedictionem, quam tibi eisque una, quorum provida ope proposito tuo perficiendo insistis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Aprilis MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VENERABILI DEI FAMVLAE

MARIAE MAGDALENAE MARTINENGO

BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Nulla unquam aetate Ecclesiae Christi Sanctorum gloria defuit. Haec enim non viris tantum sed etiam feminis virtute praeclaris laetatur, quae caelestis Sponsi vestigiis insistentes per arduum quodque virtutis iter vitam constantissime egerunt. Ipsa puellas martyrio insignes primis potissimum temporibus excitavit, ipsa spectandas virginum cohortes protulit, quae posthabita rerum mortalium cura spretisque illecebris ac deliciis mundi, sese Deo totas manciparunt. Hae abditae in Christo solitariam et umbratilem vitam agentes, pauperes, omnibus abstinentes supra quam credibile est, contra naturae infirmitatem fortes, caelestis Agni qui inter lilia pascitur nuptias inhiarunt, immortalia ab ipso praemia praestolantes. Inter has emicuit Venerabilis Dei Famula Maria Magdalena Martinengo a Barco,

quae die quinta mensis Octobris anno reparatae salutis MDCLXXXVII e vetusta ac praenobili inter Italos gente Martinengo Brixiae nata, avitum familiae decus longe auxit splendore virtutum, Margaritae nomine in Baptismate appellata, a teneris unguiculis pietatis laude floruit vitaeque innocentia. Silentio enim potius ac solitudini quam nugis puerilibus solebat vacare, diu orare, precesque ad plures horas producere, pauperum simul inopiam industrio caritatis studio levare egregiae indolis puella unice cupiebat. Prima illa aetate magnum vitae discrimen subiit; nam ruri cum forte currenti cisio veheretur, humi lapsa et a praepete rota in pulverem provoluta, non nisi praesenti Dei ope tanto e periculo omnino incolumis evasit. In Monasteriis Angelorum ac Spiritus Sancti institutionis causa recepta, sociis ac magistris virtutum omnium se praebuit exemplar. Ibi primum caelesti Sponso florem virginitatis vovit, ibi poenitentiae ac vitae interioris spiritu adducta in religiosam Monialium Capulatarum familiam coepit cogitare. Quare contempto saeculi fastu, neglectis praedivitis familiae commodis spretisque mundanis nuptiis, ac fortiter devictis a patre et consanguineis obiectis difficultatibus, die octava Septembris mensis anno MDCCVI in asceterium Brixiense Monialium Capulatarum in optatum veluti portum laeta confugit, et in ipso iuventutis flore insignis fama et nobilitate virgo miserum induta sancti Francisci sagum et aspera fune lumbos praecincta, Mariae Magdalenae nomine assumpto, solemnia religionis vota nuncupavit. Quibus quidem nuncupatis videri coepit ad

religiosae vitae perfectionem concitato cursu contendere. Mira quippe in ipsa elucebat humilitas, singularis et in obtemperando alacritas et in quibusvis molestiis perferendis patientia, accuratissima legum vel minimarum observantia, nunquam intermissum precationis studium cui dies noctesque quum instaret alienato saepe a sensibus animo divinae gratiae donis uberrime perfundebatur. In recolendis autem Christi Domini cruciatibus tanto afficiebatur doloris sensu tantaque inardescebat amoris flamma, ut prope exanimis plerumque languesceret. In afflictando autem corpore assidua illi austeritas, nam puritatis lilium quod a primis annis Deo dicaverat, aspera praecinctum poenitentiae sepe servavit; et innocens corpus ieiuniis, flagellis, ciliciis, aliisque exquisitis cruciatibus compescuit. Virtutibus enim omnibus heroice perfuncta, poenitentiae exempla reliquit admiranda magis quam imitabilia. Ferro etiam atque igne in carnem saeviit: saepe ferreis acubus membra transverberavit, cruentaque vulnera ardenti sulphure perstrinxit. Nullis in monasterio pepercit laboribus nec abiectissima quaeque munia detrectavit: vestes sordidiores, cellam angustiorem, lectulum equuleo magis quam strato similem in deliciis habuit. Sed cum ob virtutum praestantiam omnium admirationem sibi conciliasset, eam licet invitam ad potiora officia sodales vocarunt. Et primum puellis quae in tyrocinio versarentur ad religiosam vitam exercendis informandisque praeposita fuit, commissasque suae fidei et magisterio virgines ad ingrediendum atque excurrendum naviter perfectionis iter exemplo

suo confirmavit. Dein munus obiit Rotae Custodis, atque hoc in officio vel extra monasterii claustra plures Deo animas salutaribus monitis lucrifecit, brevique universam urbem sanctimoniae suae fama complevit ita ut innumeri fideles ad asceterii crates accederent ut solam Venerabilis Dei famulae vocem audirent. Tandem plenis suffragiis in Abbatissam electa, amplum et grave munus tam sancte gessit, ut ipsae moniales testatae sint regimen illius divinum potius fuisse quam humanum. Triennio ingravescentibus in dies conflictata infirmitatibus, quas hilari semper constantique animo pertulit, dissolvi cupiens ut ad caelestes Agni nuptias quas tantopere deperibat advolaret, anno MDCCXXXVII sexto Kalendas Augustas, laboribus magis ac poenitentiis quam aetate confecta, Brixiae, qua in urbe ante annos quinquaginta lucem hauserat, exitu placidissimo animam efflavit. Quae de Venerabilis Dei famulae Mariae Magdalenae Martinengo a Barco sanctimonia invaluerat opinio, percrebuit magis postquam ipsa e vivis excessit, accedente praesertim prodigiorum celebritate quae ipsa Dei famula deprecante contigisse ferebantur. Haec providentiae divinae illius tumulum illustrantis praeclara documenta (multi enim ex Mariae Magdalenae sepulchro praesentem opem sensere) novos Franciscalibus Capulatis nec non Clero populoque Brixiensi subiicere stimulos ut Mariae Magdalenae Martinengo causa apud Sacrorum Rituum Congregationem ageretur. Probationibus iuridice sumptis riteque perpensis, Pius PP. VI re. me. Praedecessor Noster, tertio nonas Maias anno MDCCLXXVIII Mariae Magda-

lenae virtutes heroicum attigisse fastigium solemni sanxit decreto. Inita est dein actio de miraculis quae ea deprecante divinitus patrata tradebantur, omnibusque de iure absolutis idem Praedecessor Noster Pius PP. VI, per decretum quinto nonas Martias anno MDCCXCIII datum, de uno miraculo constare solemniter edixit; Nosque per decretum quinto nonas Iulias anno MDCCCXCVIII editum de altero miraculo intercessione Venerabilis Famulae Mariae Magdalenae a Deo patrato constare similiter suprema auctoritate Nostra declaravimus. Quum igitur de virtutibus ac de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererat discutiendum num eadem Venerabilis Dei Famula inter Beatos caelites tuto foret recensenda. Quod praestitit dilectus filius Noster Caietanus S. R. E. Presbyter Cardinalis Aloisi-Masella, causae relator, in generali Conventu coram Nobis in vaticanis aedibus tertio Kalendas Decembres anni MDCCCXCVIII habito, omnesque tum Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant patres consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Dominica vero in Septuagesima superioris anni, Eucharistico litato Sacrificio, adstantibus Cardinalibus Camillo Mazzella Episcopo Praenestino. Sacrorem Rituum Congregationi Praefecto, ac praefato Caietano Aloisi-Masella relatore, nec non R. P. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, decrevimus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famulae Mariae Mag-

dalenae Martinengo a Barco Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos moti precibus universi Ordinis Franciscalium Capulatorum, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Famula Maria Magdalena Martinengo a Barco, Monialis professa Cappuccina, Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra Apostolica concedimus ut de illa recitetur officium et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum cum orationibus tamen propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in Dioecesi Brixiensi atque in templis omnibus atque oratoriis quibus ubique terrarum utitur Franciscalium Capulatorum ordo, ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus qui Horas canonicas recitare teneantur. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Mariae Magdalenae Martinengo a Barco in dioecesi ac templis supra dictis celebrentur cum officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus diebus per Ordinarium designandis intra annum postquam eadem solemnia in Patriarchali Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non-cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta

et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVIII Aprilis MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

L. ✠ S.

A. CARD. MACCHI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO
DIE XIX APRILIS MDCCCC

—

VENERABILES FRATRES

Quam rem acturi vobiscum hodierno die sumus, ea videtur consentire et congruere plurimum cum hac sanctitudine temporis, quod divinae nobis benignitatis munere concessum est. Nam in hoc amplissimo consessu vestro de virtutibus christianis facienda est mentio; simulque intelligendum, eamne excellentiam in Beatis duobus attigerint, quae ad pariendum sacrorum honorum genus maximum valeat. — Harum cognitio rerum si cadere minus commode nunquam potest, opportunissime profecto cadit in annum sacrum, cuius propria ratio institutioque ad sanctimoniam vitae promovendam pertinet. Tenetis autem quorumnam virtutes commemorari velimus: nimirum Ioannis Baptistae De la Salle, sodalium a scholis christianis Patris Legiferi, et Ritae a Cassia sororis velatae Augustinianae. Utriusque nomen, iam rite beatorum caelitum ordinibus adscriptum utrumne praeterea adscribi in ordinem Sanctorum ius

esset, quaerendum ducebamus. Postulare id a Nobis videbatur succrescens lata fidelium pietas, eos ipsos apud Deum patronos advocantium, deprecatores implorantium. Accedebat significatio nonnulla, quae ferebatur facta, divinae voluntatis ob prodigia quaedam a Deo, patrocinio precibusque ipsorum adhibitis, ut opinio erat, impetrata.

Itaque placuit eiusmodi inire consilium, quod et excitatam christiani populi religionem fovere, et divini nominis amplificare gloriam posse videbatur; caussamque canonizationis beatorum, quos nominavimus, Ioannis Baptistae De la Salle et Ritae a Cassia institui legitimeque cognosci iussimus. Iam restat ut de ipsorum vita, moribus, rebus gestis, prodigiis quidquid inquirendo constiterit, ad Nos referatur; id quod coram vobis fieri in praesentia volumus.

Cardinalis Praefectus S. Rit. Congr. verba facit de beato Ioanne Baptista De la Salle.

Tum Sanctitas Sua:

Apparet ex iis, quae modo audivimus, Venerabiles Fratres, Beatum Ioannem Baptistam De la Salle, de salute proximorum optime meritum in maximarum exercitatione virtutum mortale aevum transegisse. Quas virtutes, ut accepistis, patrata rerum miracula confirmavere. Placetne igitur vobis ut ad eius canonizationem solemni Ecclesiae ritu deveniamus?

Sequitur PLACET *S. R. E. Cardinalium.*

—

Cardinalis Praefectus S. Rit. Congr. verba facit de beata Rita a Cassia.

Tum Sanctitas Sua:

Habetis, Venerabiles Fratres, beatae Ritae a Cassia quanta fuerit fidei, caritatis, patientiae laudumque ceterarum magnitudo. Prodigia quoque diligenti ac diuturna quaestione videtis in conspicuo posita, quae sanctitati eius suffragentur. Placetne igitur vobis ut ad eius canonizationem solemni Ecclesiae ritu deveniamus?

Sequitur PLACET *S. R. E. Cardinalium.*

—

Tum Sanctitas Sua:

Gratum est vestras, Venerabiles Fratres, de proposita caussa sententias comperuisse. — Sequitur, ut ad creationem veniamus Episcoporum.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
MAXIMILIANO LIBERO BARONI DE VITTINGHOFF-SCHELL
VINDOBONAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pergratum Nobis nuncium tuae litterae attulerunt, fore videlicet ut catholicae consociationes christianae caritatis operibus exercundis et provehendis Vindobonam, sequenti mense, in coetum conveniant. Nihil profecto efficacius ad acuenda studia ignesque concipiendos, quam hi communes conventus; in quibus et aliorum acta desidiores excitant et mutua omnium consilia viam ulterius sternunt quo latior agentibus pateat campus fructusque uberior cedat. Qua in re unum vobis Nobisque in primis carum, commendasse libet, ut nempe adolescentem aetatem industriae vestrae ne praetereant. Nimium sane malorum artibus ac perturbationum illecebris ea patet aetas! Quamobrem praestantissimum caritatis officium est adolescentium neces-

sitatibus prospicere sedulo, simulque utilissimum; quidquid enim illis studii diligentiaeque impertitur, id non eorum modo, sed civitatis et patriae commodis impertitur. Nos igitur coetum vestrum amanti laetoque animo prosequimur. Et universis catholicis viris, tum qui coetui parando adlaborant tum qui in eodem aderunt, Apostolicam benedictionem, benevolentiae Nostrae testem et munerum divinorum auspicem, propensissima voluntate elargimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Aprilis MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
AVGVSTINO BERTHE
SODALI A SANCTISSIMO REDEMPTORE

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Diuturni laboris fructum, bina volumina exhibuisti de vita rebusque gestis Alfonsi Patris. Nobis bene gratum accidit donum; tibique et ingenii sollertiam et constantiam propositi gratulamur. De illo enim quamquam alii scripserunt, atque unus aliquis praeclara cum laude, tamen qui ex parte omni fecisset, adhuc desiderabatur. Hoc tu consilio ductus, viri sanctimoniam et doctrinam, studium episcopale et prudentiam legiferam, de institutione cleri, de cultu christianae pietatis, de sempiterno plurimorum bono promerita, omnia enisus es, excussis monumentis, religiose persequi suoque in lumine collocare. Certe tibi habebunt gratiam, non modo sodales tui, sed quotquot etiam cultores sunt Episcopi sancti et Doctoris egregii, quibus copia rerum saluberrima per te patet deprompta.

De hoc gaudeas quidem velimus, neque minus de accessione gloriae, quam Patri tuo curasti pientissimus filius. Iam tibi cum benevolentia et commendatione Nostra adsit Apostolica benedictio, quam divinorum munerum auspicem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Aprilis MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO TIT. SANCTISSIMAE TRINITATIS IN MONTE PINCIO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI COULLIÉ
ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI
LVGDVNVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Aequissimum sane ducimus ut Christi Dei, humani generis servatoris, recordatio ab memoria augustissimae Eius Matris ne separetur; ut dum extrema labentis saeculi solemnibus Unigenae caerimoniis dedicantur, Parens etiam peculiari fidelium honore non vacet. Id Lugdunenses, pro veteri in beatissimam caeli Reginam pietate, opportune senserunt; quamobrem et Marialem coetum sua in urbe celebrandum curavere, et Magnae Matris simulacrum augustum, quod in monte, *a Foro vetere* nuncupato, religiosissime colitur, diademate aureo exornandum desiderarunt. De Mariali coetu iam litteris aliis, anno superiore datis, ad te perscripsimus. Quod vero attinet ad diadema sacro

Virginis simulacro statis caerimoniis imponendum, tibi ut id peragas ea ratione, quam architecti litterae exposuerunt, facultatem perlibenter facimus. Utinam Dei Mater et hominum benignissima, piis hisce officiis exorata, Lugdunum suum Galliamque universam respiciat clemens; quaeque, labente saeculo, praeclara patriae vestrae contulit beneficia, reflorescente ubique christianae fidei dignitate cumulet. Nos interim ut religioni vestrae in Virginem merentissimam addamus stimulos, Apostolicam benedictionem omnibus, qui in adhibendis Matri sanctissimae honoribus aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Aprilis MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

GEORGIO

ARCHIEPISCOPO COLOCENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dum publicis laetitiis invectam maioribus, ante annos CM, catholicam fidem gens vestra nobilissima domi commemorat; opportune admodum e catholicis Hungariae civibus fuere haud pauci, qui Romam ad Petri Sedem contenderent, ut eamdem fidem communi veluti nomine profiterentur et confirmarent. Opportune inquimus: nam et catholica sacra, et quae inde effloruit humanitas patriumque decus, non aliunde, quam a Romanis Pontificibus, vestratibus obvenerunt. Sensit profecto sanctus rex Stephanus, quanto suis populis emolumento esset in catholicis gentibus censeri; quamobrem nihil habuit antiquius, quam ut catholicum in illis nomen cresceret ac vigeret. Cuius sanctissimi Regis benefacta si grato recolunt animo, acceptam per illum fidem fortiter retineant Hungari, stre-

nueque colant; sic enim et patriae utilitatibus et suo singulorum bono prospicient optime. Nos interim, quam maioribus vestris Silvester II decessor Noster caritatem probavit, eamdem vobis totique genti vestrae profiteri pergimus. Cuius ut testimonium praebeamus, Apostolicam benedictionem tam iis qui Romam venerunt, quam universis Hungariae catholicis incolis, caelestium gratiarum auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Aprilis MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

CANONICIS

AEDIS METROPOLITANAE FLORENTINAE

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iucundae Nobis fuerunt communes litterae vestrae, in quibus tanta significatio inest egregiae voluntatis. Officia studiaque vestra erga Nos privatim sane complectimur libentes debitaque cum remuneratione benevolentiae. Verum illa Nobis probatur in primis declaratio animi, qua scilicet id videmini voluisse ut vestra in Apostolicam Sedem pietas, quamquam erat probe cognita, fieret tamen notior et illustrior. Ac recte quidem: nam, quod optime perspicitis ipsi, debitam romano Pontifici observantiam atque obedientiam tempora ipsa monent impavidam et conspicuam esse oportere: idque nominatim in clericis, ut quos omni in re honesta ac laudabili decet esse documento ceteris. Itaque de tali affectione animi gratulamur unicuique vestrum, eamdemque non perpetuam solum in

vobis, sed fructuosam etiam, Deo volente, confidimus futuram. Illud praeterea Nobis et optatum et gratum, quod vos valde cupidos studiososque cernimus antistitis ornatissimi, cui rem sacram Florentinorum haud ita pridem commisimus. Magna sacerdotum laus, coniunctos esse cum Episcopo suo amanter et concorditer; magna salus, subesse ac parere potestati legitimae non invitos. Huic vos officio, dilecti filii, quemadmodum satisfacitis hoc tempore, ita in posterum cumulate satisfacturos, certo scimus: nec deerunt in Etruria qui intueantur in exemplum vestrum atque inde, quod imitentur, capiant. Caelestium munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
HENRICO
ARCHIEPISCOPO ALGERIENSI CETERISQVE EPISCOPIS
QVI HIPPONEM REGIVM
AD AVGVSTINIANI TEMPLI DEDICATIONEM CONVENERVNT

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

De iis, quae in Pontificatu Nostro, divino iuvante numine, perfecimus, unum est de quo maxime gaudet animus, restitutam videlicet fuisse in pristinum Africanam Ecclesiam, tot Doctorum sapientia, tot Martyrum sanguine praeclarissimam. Cuius quoniam praecipuum fere decus in Augustini nomine est, gratulamur sane quod eius memoria, curantibus vobis, insigni extructo templo Hippone Regio, revirescat. Ex Augustini doctrinis, quas vos opportune recoluistis, splendidissime elucet et Romanae Sedis in universam Ecclesiam auctoritas, et Afrorum fidelium intima cum eadem coniunctio. Vigeat porro haec fides et nexus idem, vobis adnitentibus, in redivivis Africae ecclesiis,

nec profecto deerit quominus, progressu temporis, maiores suos gloriâ et virtutibus aemulentur. Vobis interea, Venerabiles Fratres, gratias de officio agimus. Et ut benevolentiam, qua vos gregesque vestros prosequimur, confirmemus, Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILIBVS DEI FAMVLIS
SEPTVAGINTA SEPTEM
MARTYRIBVS ANNAMITIS ET SINENSIBVS
BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Fortissimorum virorum seriem, qui effuso sanguine testimonium Christo reddiderunt, nulla unquam conclusit aetas, sed fastorum ipsorum tabulae novis semper enitent titulis. Martyrum enim purpurata sanguine vel ab ipsis suis primordiis Ecclesia exhibere postea nunquam destitit miranda exempla fortitudinis. Dum ad labefactandam Christi militum firmitatem nova excogitarunt tyranni suppliciorum genera, auxerunt pariter ad sempiternum Ecclesiae decus praestantium heroum coronas et palmas. Id porro non sine providentissimo Dei consilio factum est: nimirum ut manifeste constaret durissimo certamini e caelis adfuisse Auctorem fidei nostrae Christum Iesum, qui, ut scripsit sanctus Cyprianus, « praeliatores et assertores sui nominis

in acie confirmavit, erexit, qui pugnavit et vicit in servis suis ». Hoc etiam saeculo modo ad exitum labente, Cochinchinae, Tunquini, et Sinarum Imperii terrae feraces martyrum fuere. Excitato enim plurium annorum spatio illis in regionibus dirissimae insectationis turbine adversus Christi Religionem feliciter illuc invectam, multi Evangelii praecones exantlatis per eas gentes ineffabilibus laboribus, aditisque omne genus periculis, quam diuturno sudore provexerant fidem, effuso cruore obsignare non dubitarunt. Haec generosa Christi pugilum manus praeclara antiquorum martyrum facinora aequavit; antistites enim sacrorum, sacerdotes tam saeculares quam regulares, catechistae, milites et cuiusque conditionis aetatisque homines, atque etiam mulieres, exsilia, carceres, cruciatus, extrema denique omnia fortiter pati maluerunt, quam Crucem conculcare et a sanctissima religione descíscere. Atqui ad tentandam Christianorum in fide constantiam, exquisitissima barbari tortores adhibuerunt tormenta, quae meminisse animus nedum enarrare reformidat. Aliis ad palum deligatis elisum laqueo guttur, alii in crucem acti, plures securi percussi, nonnulli fame enecti, alii horrendum in modum secti, vel membratim caesi fuerunt, alii denique in caveis ferarum more inclusi, solis aestu, siti, verberibus, catenis et squalore carceris afflicti, mortalem hanc vitam cum immortali ac beata commutarunt. Tantam vero suppliciorum atrocitatem alacri ac flecti nescio animo perpessi sunt: « steterunt, ut sancti Cypriani verbis utamur, torquentibus fortiores, ac saevissima diu plaga

repetita inexpugnabilem fidem expugnare non potuit ». Strenuissimorum istorum heroum numerus ad septem et septuaginta adscendit.

Quadraginta novem gloria pertinet ad inclytam et praeclare de religionis incremento meritam Exterarum Missionum societatem. Hi sunt in Sinis Ioannes Gabriel Taurin Dufresse, Episcopus Tabracensis et Vicarius Apostolicus Sutchuensis, ac pro fide interfecti Augustinus Chapdelaine, Augustinus Tchao, Paulus Lieou seu Liou, Iosephus Yuen seu Uen, Thaddaeus Lieou, Petrus Lieou seu Ouen Yen, Petrus Ou, Ioachim Ho, Laurentius Pe-Man et Agnes Tsao-Kouy. Praeterea qui in Tunquino martyrium fecerunt Petrus Dumoulin Borie Episcopus electus, Ioannes Carolus Cornay, Augustinus Schoeffler, Petrus Khoa, Vincentius Diem, Petrus Tuy, Iacobus Nam, Iosephus Nghi, Paulus Ngan, Martinus Thinh, Paulus Khoan, Petrus Thi, Andreas Dung seu Lac, Ioannes Dat, Lucas Loan, Petrus Tu, Franciscus Xaverius Can, Paulus Mi, Petrus Duong, Petrus Truat, Ioannes Baptista Thanh, Petrus Hieu, Antonius Dich, Michael Mi, Martinus Tho, Ioannes Baptista Con, Ioannes Aloisius Bonnard. Et qui in Cochinchina in odium fidei interempti sunt Franciscus Isidorus Gagelin Missionarius Apostolicus et Pro-Vicarius Generalis Cochinchinensis, Franciscus Iaccard, Iosephus Marchand, Emmanuel Trieu, Philippus Minh, Andreas Trong, Thomas Thien, Paulus Doi Buong, Antonius Quinh Nam, Simon Hoa et Matthaeus Gam. Hos inter ad exemplum enituit adolescentis militis constantia Andreae Trong plane digni suae

fortitudine matris, quae imitata Deiparam perdolentem adstitit filii supplicio, abscissumque illius caput a tyranno repetiit, excepitque gremio. Sex ac viginti etiam Martyribus gaudet fecunda Sanctorum parens et altrix Praedicatorum Fratrum familia, nempe Ignatio Delgado Episcopo Mellipotamensi Vicario Apostolico Tunquini Orientalis et Dominico Henares Episcopo Fesseitensi praefati Vicarii Apostolici Coadiutore, quorum primus in carcere et cavea diu martyr absumptus est, alter capitis obtruncatione certamen absolvit. Similiter in Tunquino accedunt hisce in passione socii novem ex ordine Praedicatorum Sacerdotes, Iosephus Fernandez Vicarius Provincialis, Vincentius Yen, Dominicus Dieu seu Hanh, Petrus Tu, Thomas Du, Dominicus Doan seu Xuyen, Iosephus Hien, Dominicus Trach seu Doai, et Dominicus Tuoc omnes capite caesi, praeter extremum, qui gravi vulnere saucius occubuit. Sunt e reliquo clero Iosephus Nien seu Vien, Bernardus Due, ambo capite mulctati, et Petrus Tuan in vinculis cruciatuum diuturnitate consumptus. Subeunt cathechesis tradendae ministri Iosephus Canh medicus in tertium ordinem sancti Dominici adlectus, Franciscus Chien seu Chieu ambo capitis damnati, Iosephus seu Petrus Uyen e tertio ordine sancti Dominici in carcere aerumnis confectus, Thomas Toan item tertiarius Dominicanus fame enectus, Franciscus Xaverius Mau et Dominicus Uy, similiter tertiarii laqueo suspensi. Extremo hoc genere mortis affecti, succedunt alii duo tertiarii Dominicani, nempe agricolae Augustinus Moi et Stefanus Vinh, deinde milites tres, ex

quibus Dominicus seu Nicolaus Dat fune strangulatus, Augustinus Huy et Nicolaus The secti: denique Thomas De sartor, pariter e tertio ordine sancti Dominici laqueo suffocatus. Congregatio Missionis sancti Vincentii a Paulo, omne genus ministerii et caritatis complexa, ac tam longe porrecta quam late patet humanitas, in Sinis, ceteris hisce Martyribus Venerabilem Dei Famulum Franciscum Clet dedit socium, qui nec apostolicis laboribus fractus, nec periculis aut minis deterritus, post longos saevi carceris cruciatus, laqueo suffocatus et crudeli modo conculcatus, diuturnum martyrium constantissime tulit. Tandem ne invicta haec acies italici etiam nominis gloria careret, spectat ad Minorum Franciscalium ordinem de religione ac societate semper optime meritum Venerabilis Ioannes Lantrua, nuncupatus a Triora, eius natali in Liguria oppido. Hic multis ex ethnicis ad Christum adductis, plurimis Christianis in fide firmatis, unus in vastissima Imperii Sinensis regione sacerdos, proscriptae religionis ministerium interritus exercuit, donec in vincula coniectus et capitis damnatus, eliso per laqueum gutture pretiosam obiit in conspectu Domini mortem. Horum omnium praeclarissimi triumphi est longe lateque per Christianum orbem fama diffusa. Iubar enim accessit miraculorum: neque defuerunt de caelo signa. Saepe incorrupta martyrum corpora suavem effuderunt odorem; saepe post supplicium ingens auditus innubilo caelo fragor; aut fulmine tactum tyranni tribunal, aut insolitis motibus tremuerunt urbes. Garrula interdum hirundinum acies circum morituros laeta volitavit, et, peracto Vene-

rabilium Dei Famulorum martyrio, obscura ferrugine sol texit nitidum caput atque impii carnifices aeternam noctem timuerunt. Sequuta tandem pervicacium quorundam infidelium ad Christi fidem conversio, ac teterrimae poenae, quibus plures e tyrannis, tantarum caedium auctoribus, obnoxii fuerunt, tum Martyrum decus et gloriam auxerunt, tum sanguinem eorum vere semen Christianorum esse probarunt. Propterea inquisitionis confectis legitimis tabulis, atque ad Urbem transmissis, de ipsorum martyrio penes Sacrorum Rituum Congregationem causa agitari coepta est, omnibusque probationibus accurate perpensis, Nos per decreta lata, sexto nonas Iulias anni superioris, quinto Kalendas mensis Martii et octavo Kalendas Aprilis vertentis anni de septuaginta septem eorumdem Venerabilium Dei Famulorum martyrio eiusque causa, itemque de miraculis seu signis constare solemniter ediximus, duobus exceptis ex eo numero, nempe Venerabilibus Matthaeo Gam et Ioanne Aloisio Bonnard qui iis signis carent; quos tamen propter martyrii splendorem ac fortiter toleratam pro Christo mortem eodem censu ac reliqui martyres habendos esse iussimus.

Ad actorum vero legitimam seriem perficiendam illud supererat discutiendum, num ipsi Venerabiles Dei Servi inter Beatos Caelites tuto forent recensendi. Hoc praestitit dilectus filius Noster Caietanus S. R. E. presbyter Cardinalis Aloisi-Masella, causae Relator, in generalibus Comitiis ipsius Sacrae Rituum Congregationis habitis coram Nobis in Vaticanis aedibus sexto Kalendas Aprilis

vertentis anni, omnesque tum Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant Patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam divinae sapientiae praesidium Nobis compararemus. Dominica vero proxima solemnibus Christi Resurgentis huius saecularis anni, eucharistico litato sacrificio, accitis dilecto filio Nostro praefato Cardinali Caietano Aloisi-Masella, causae Relatore ac Pro-Praefecto Sacrorum Rituum Congregationi ac R. P. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore. una cum Reverendo eiusdem Congregationis Secretario Diomede Panici. ad solemnem dictorum septem ac septuaginta Martyrum Beatificationem tuto procedi posse decrevimus. — Quae cum ita sint, Nos precibus permoti quatuor Ordinum Religiosorum nempe Congregationis ab Exteris Missionibus. Ordinis Praedicatorum, Congregationis Missionis sancti Vincentii a Paulo, atque Ordinis Minorum sancti Francisci Assisiensis, simulque annuentes votis Vicariorum Apostolicorum Tunquini, Cochinchinae et Sinarum Imperii, qui illis in regionibus Christi Martyrum sanguine purpuratis Dominico gregi advigilant, de consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi. facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Ioannes Gabriel Taurin Dufresse, Episcopus Tabracensis, Petrus Dumoulin Borie, Episcopus electus, et socii quos ante nominavimus ab exteris missionibus; Ignatius Delgado,

Episcopus Mellipotamensis, Dominicus Henares, Episcopus Fesseitensis Ordinis Praedicatorum, sociique praedicti; tandem Franciscus Clet e Congregatione Missionis et Ioannes a Triora Ordinis Minorum sancti Francisci in odium fidei ab idololatris interfecti, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque corpora et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa de Communi plurimorum Martyrum iuxta rubricas Missalis et Breviarii tum Romani tum Ordinis Praedicatorum cum orationibus propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus in domibus ac templis quatuor dictorum Religiosorum Ordinum et Congregationum necnon Filiarum Charitatis, ab omnibus Christi fidelibus tam saecularibus quam regularibus qui horas canonicas recitare teneantur. Tandem concedimus ut supra dictis in templis ubique terrarum existentibus, solemnia Beatificationis Venerabilium dictorum Dei Servorum celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus: quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium respective definienda intra primum annum postquam eadem solemnia in Patriarchali Nostra Vaticana Basilica celebrata fuerint.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Lit-

terarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita. eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die VII Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

L. ✠ S.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTAE FILIAE
MARIAE STILTZ
MODERATRICI COETVS MVLIERVM
A SANCTO FRANCISCO SALESIO NVNCVPATI

—

LEO PP. XIII

DILECTA FILIA
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quantum ad mores rite formandos et ad christianam sapientiam animis inserendam scripta Francisci Salesii hortationesque valeant, non experimento solum trium saeculorum luculenter patet, verum etiam Ecclesiae iudicio, quae sanctum Antistitem Doctoris titulo honestandum existimavit. Quamobrem opportuno plane consilio excogitatum fuit, catholicas mulieres in coetum colligere ut, ad Salesii normas, nullo quamvis votorum vinculo, pro suo quaeque statu, christianas virtutes adipisci studeant seseque caritatis operibus strenue impendant. Ex litteris autem, quas Nobis exhibuisti, Antistitum Parisiensis et Lugdunensis aliorumque quamplurium Episcoporum, novimus libenter institutum istud adeo, favente Deo, flo-

ruisse, ut non in Gallia modo sed in aliis etiam regionibus et apud barbaras gentes, non sine egregio emolumento, propagatum sit. Gratulamur igitur tibi, dilecta Filia, quae coetum moderaris, eidemque coetui universo, ac peramanter hortamur ut coeptis naviter insistatis; nihil enim Nobis optatius est, quam ut virtutes christiano nomine dignae ubique excolantur, et caritas in omne miserorum genus latius usque vigeat. Id vero ut feliciter assequamini, tibi et coetui, cui praees, Apostolicam benedictionem, testem benevolentiae Nostrae et munerum divinorum auspicem, libentissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VENERABILIBVS DEI FAMVLIS

DIONYSIO A NATIVITATE ET REDEMPTO A CRVCE

SODALIBVS CARMELITIS

BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Vastum sane atque uberem campum catholica Ecclesia nacta est in Indiis ad Orientem versis ubi operariorum suorum elaboraret industria, virtus excelleret, gloria eluceret, sed qui tali esset natura comparatus, ut evangelicam non conciperet comprehenderetque sementem nisi irrigatus esset sanguine Martyrum. Atque ideo eam etiam ob causam, spe nimirum martyrii, sacrae ad Indos expeditiones a religiosis viris magnae animae prodigis libentissime susceptae sunt. Paucos enim post annos quam tota fere India fuit Francisci Xaverii fecundata sudoribus, strenui Christi administri, sicut Dei gloriam atque aeternam multorum salutem, ita eximiam meritorum laudem et martyrii coronam sibi compararunt. Huic officio non

defuit insignis ordo Carmeli, qui ex sodalibus suis par nobilissimum videt hodierno die gaudetque in Beatorum caelitum numerum recenseri. Hi sunt Dionysius a Nativitate et Redemptus a Cruce, quorum virtutes et res praeclarae gestae afflant suavitatem quamdam atque in auspicium vicesimi saeculi salutaria suppeditant populo christiano ad imitandum exempla. Dionysius fuit ortu Huneflorii in Gallia anno christiano sexcentesimo supra millesimum Petro Berthelot et Florida Morina parentibus, qui studium domesticae laudis in pietate et virtute ponebant. In sacro baptismate Patris nomen habuit et appellatus est Petrus. Puerulus bona spe et mirifica ad virtutem indole praeditus in pietatem excolendam mature animum appulit. Fama tenet Petrum necdum puerum sexennem clam parentes ad proximum templum piae exercitationis causa interdiu advolasse atque ibi provolutum in genua prece et obsecratione humili id navare et efficere ut Dei numen sibi propitiaret. Grandior natu factus sedulam dedit operam iis disciplinis, quibus aetas puerilis solet informari, deinde omnem suam curam et diligentiam mathesi rerumque nauticarum scientiae alacriter contulit. Hunc quoque curriculum summa cum laude emensus, longos navigationis cursus confecit et negotiis cum praesset suis versatus est in maritimis, portusque celeberrimos Italiae, Hispaniae, Galliae, Angliae et Americae saepe tenuit. Quibus in pelagiis itineribus ad navis gubernaculum sedens, sed animo et cogitatione semper in Deo defixus, ubi occasio opportuna se obtulit, mores nautarum,

remigum, gerulorum emendavit, eos de officiis christianis commonefecit, virtutumque, quarum sermonibus praecepta docuit, moribus suis edidit exempla. Praeterea nihil magis gravate tulit quam sanctissimum Dei nomen verborum impietate violari, aut obtrectari maledictis, et si atrociorem fando inaudiret vocem ille toto repente vultu exardescere atque adeo animadvertere in sontes, ut postea eo praesente ne hiscere quidem ac respirare auderent. Operam suam primum apud Batavos locavit, sed paullo post cum nollet se catholicum haereticis subiicere, stipendia meruit apud Lusitanos, quibus praeclarum dedit specimen animi et ingenii. Ipsi, brevi mora interposita, ad Navarchi et Cosmographi gradum eum evexerunt, et cum per id temporis magnam Lusitani aedificarent et ornarent classem, multis navibus Petrum praefecerunt. Cum iis ipse sedens in puppi, clavum tenens, maria non pauca peragravit et non semel congressus est cum Turcis, a quibus victor semper discessit. Dux enim prudens, strenuus et idem vir catholicus suae fidei perstudiosus, nihil praetermisit quod experientia, virtute, constantia poterat, nihil non periclitatus est ut acerrimos christiani nominis hostes deprimeret, exturbaret. Sed inter armorum strepitus plaususque victoriae non conticuit vox divinae gratiae Petrum ad se vocantis, quae ad commentationem rerum caelestium, ad solitudinem, ad pacem eum semper invitavit. Quamobrem cum aliquando Goam in urbem Indiarum, commodo instructam portu, classem appulisset et ipse ad oppidum ventitaret, Patres Societatis Iesu ibi

consistentes occulte convenit, eis animum suum aperit, diuturno monasticae vitae desiderio se teneri profitetur, voluntatem Dei satis sibi cognitam dicit esse; orat ut se in sodalium numerum adsciscere ne graventur. At Praeses Societatis, qui non ignorat Petrum Lusitaniae classi praeesse et Regium esse Cosmographum merito veretur si eum recipiat, ne Proregi faciat iniuriam. Propositi sui ille tenax ad Patres Carmelitas Excalceatos se confert, apud quos idem beneficium quod a Societate Iesu frustra petierat non sine negotio tandem exorat. Id posteaquam Prorex resciit, excanduit, et graviter cum Coenobii Vicario, qui Petrum exciperat, conquestus est. Vicarius demisse respondet Petrum ortu et Civitate Gallum Lusitanorum lege esse solutum et eam posse quam petit tenere vitae rationem; ceterum eius nomine se de Petro spondere, si res postulet, Lusitanis illius operam non defuturam. Huic responso Prorex acquievit, et Petrus voti compos Carmelitarum Excalceatorum vestem induit, posuitque alacriter tirocinium. Sed paullo post Batavi Govensem portum classe maxima obsiderunt, et Prorex sponsionis memor Dionysii operam poposcit. Vicario Coenobii persuadente ut obsessam civitatem defendat Dionysius morem gerit atque operi illico se accingit. Quapropter milites tumultuarios colligit, accesse instruit, praelium committit, tres dies ipsos cum hoste in armis exercitu intrepide decertat. Non ille clypeo scutoque ad repellendos ictus, non galea et lorica ad obtundendos utitur, sed lanea indutus veste Carmeli, nudato capite, Crucemque Redemptoris Iesu pro

gladio distringens, in prima acie versari. ubi confertissimi instant hostes accurrere, omnia providere, laborantibus subvenire, ignavos excitare verbo et exemplo. Tandem oppido ab obsidione liberato portum redimit, et dum civitas universa obviam Dionysio sese effundit, se ipse subducit, et in coenobii claustra clanculum confugit. Ibi in amico silentio solitudinis, in tranquillitate pacis ad tirocinium suum, belli causa intermissum, acriori studio se refert. Eo post paucos menses absoluto, solemnia vota emittit; deinde sacerdotio initiatus, primitus singulari animi laetitia sacris operatur. Quum vero apud se reputans non amplius se sui iuris sed Dei proprium esse quasi mancipio ac nexu, incredibile fere est quanta voluntatis abdicatione totum Dei gloriae et familiae Carmelitae incolumitati et bono aeternaeque proximorum saluti se dediderit. Ea tempestate accidit ut Prorex Goensis Achen ad urbem principem Sumatrae insulae Franciscum Soza de Castro legatum mitteret. Hic Dionysium habebat plurimi, utpote quem oceani peritissimum esse noverat, eumque pietatis magistrum et comitem sibi elegit. Dionysius delatum munus acceptum gratumque habuit, et Praeses Coenobii ipsi adiutorem assignavit Redemptum a Cruce eiusdem coenobii Carmelitani. Redemptus natione Lusitanus in saeculo nominatus est Thomas Rodriguez de Cuencha, de cuius vita et moribus pauca admodum posteritati sunt tradita. Memoriae proditum est iuvenili aetate Thomam militem classiarium stipendia meruisse in patria et longam suscepisse in Indiam navigationem. Deinde in Coe-

nobium Tattae inter Carmelitas receptus a peregrinis laboribus requievit, et Ianitoris munere egregie functus est. Postea vero a Goensis Coenobii Praeside Aedituus est renuntiatus, et nobiliori huic officio obeundo magnam adhibuit diligentiam et pietatem, eximiamque sibi laudem comparavit. Homo summa humanitate, comitate, moribus suavissimis diligebatur ab omnibus ita ut quum Dionysio socius adiutor daretur reliqui obstiterint et causas sustinendi vel retardandi discessionem quaesiverint; sed Redemptus, quem desiderium martyrii et spes eo magis incesserat, quo magis idoneus et opportunus videretur esse locus quem cum Dionysio aditurus erat, abeundi tempus praestolabatur. Illuxit tandem dies quo Dionysius et Redemptus parati ad omnia atque alacres cum Legato ad portum a coenobio sunt profecti. Lacrymantes socii socios lacrymantes complexi sunt et longum vale non redituris dixerunt. Ipsi navem quae iam in eo erat ut solveret conscendunt, atque ambo nautae experientes, assueti fluctibus iter anceps et longum alacriter ineunt. Post varios casus, post magna discrimina, ex quibus Dionysius navem eripuit, Achen tandem attingunt. Rex qui ad violandum ius gentium aliud simulat aliud agit, cursores aulicos ad navem mittit qui venientibus nuncient invehantur libere in portum, ad regiam urbem accedant, honore quo par est Rex Legatum et hospites excepturus. Liberali invitatione deceptus Legatus Lusitanorum cum omni suo comitatu in fraudem deducitur, urbi succedit; sed repente efferatae Turcarum manus eos circumveniunt,

vincula captis iniiciunt, in carcerem denique detrudunt. Deinde Regis iussu captivi omnes viris principibus regni distribuuntur singuli singulis: Dionysius in caraedio per quod sordes et immunditiae eluuntur coniicitur; Redemptus bubulis ducendis traditur, eidemque ne ervo quidem datur se posse vesci. Sic Dei famuli vitam aegre trahentes ambo, interdum invisuntur ab administris Mahometi qui eis persuadere tentant ut a Fide Christiana desciscant ut ad vitam, ad libertatem, ad opulentiam, ad honores se revocent, ne bona certa pro incertis permutent. Sed duo Carmelitae fortitudine summa, constantia pari illecebras et invitamenta deridentes respondent nolle se maximum Dei donum, fidem eiurare, bona aeterna pro fluxis et caducis amittere; immortalia caeli gaudia mortalibus tormentis et morti anteponere. Hoc responso Regi nunciato, Rex iubet omnes (excepto Legato et nonnullis e familia Legati) duos nempe Carmelitas et sexaginta circiter alios catholicos capite damnari. Data sententia Dionysius et Redemptus trahuntur ad supplicium prope maris litus quos praeconcepti spectaculi cupida turmatim sequitur populi multitudo. Martyres inedia confecti, squalidi, devincti catenis, aspectu miserabiles sed animo elati pedetentim progrediuntur. Simul utque ad lanienam ventum est, ipsi in genua provoluti tendunt ad caelum palmas, Deum orantes ut supremo in tempore sit praesens et opem ferat. Carnifices emissis eminus telis miserandum in modum multa corporibus vulnera infligunt. Redemptus a Cruce, fame pene iam necatus, gravi vulnere accepto,

animam expirat: Dionysius a Nativitate Crucem distringens, qua in certamine utebatur, passionis nunc socios in fide confirmat, in extremo agone languentibus animum addit, et demum saucius procumbit. Tunc miles quidam qui ex fide catholica desciverat in nudum caput Dionysii acinacem impingit, medium dividit. Sic heroes invicti illustre pro Christo martyrium fecerunt, nobis omnibus argumentum praebentes divinitatis Religionis pro qua sanguinem profuderunt. Eorum fama ex longinquis Asiae regionibus cito in Europam pervenit, et magna cum iam esset duorum Carmelitarum virtutum commendatio tum post eorum martyrium aucta magis est et latius diffusa. Quare Ordinariis et Apostolicis inquisitionibus mature praemissis, aliisque ad iuris normam peractis, denique de Martyrio, causa Martyrii, signis seu miraculis disceptari coeptum est. De hac quaestione diligenter est disputatum, ac tum Cardinales tum adstantes ex officio Praesules sententiam suam dixerunt: illam tamen confirmare supremo Nostro iudicio distulimus, donec Patrem luminum impense precati essemus, ut in re tali mentem Nostram lucis suae radiis illustraret. Tandem octavo Kalendas Aprilis huius anni MCM Decretum vulgari iussimus de Martyrio et de causa Martyrii et de signis Martyrium confirmantibus. Denique ad actorum legitimam seriem perficiendam in generali sacrae rituum Congregationis conventu qui habitus est coram Nobis die vicesima septima mensis Martii propositum dubium fuit an stante approbatione Martyrii eiusque causae, miraculorum seu signorum Martyrium

illustrantium, tuto procedi posset ad solemnem eorumdem venerabilium Servorum Dei Beatificationem, et omnes unanimi consensione responderunt tuto id fieri posse. Nos tamen supremum Nostrum de re tanta iudicium non illico pronunciavimus, rati supernae opis gratiam esse interea implorandam. Die vero sexto Idus Aprilis eiusdem anni MCM Nos, pacis Hostia perlitata, decreto ediximus, tuto procedi posse ad honores Beatorum Caelitum duobus Martyribus decernendos. Quae cum ita sint, moti precibus Ordinis Carmelitarum excalceatorum, Nos Apostolica Nostra auctoritate, harum litterarum vi, facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Dionysius a Nativitate et Redemptus a Cruce Beatorum nomine in posterum nuncupentur, et publicae fidelium venerationi proponi valeant eorum imagines radiis decoratae. Dein eadem auctoritate Nostra concedimus ut de iis recitetur quotannis Officium et Missa de Communi Martyrum cum orationibus propriis a Nobis probatis iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas: eiusdem vero Officii recitationem et Missae fieri concedimus in omnibus ecclesiis quibus uterque utitur ordo Carmelitarum excalceatorum et calceatorum ab omnibus qui horas canonicas recitare teneantur. Demum concedimus ut solemnia Beatificationis dictorum Servorum Dei in templis supra dictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario designanda intra primum annum postquam eadem solemnia in Patriarchali Basilica Vaticana celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis.

ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manu Secretarii supra dictae Congregationis subscriptis et sigillo Praefecti munitis, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XV Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

L. ✠ S.

A. CARD. MACCHI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO
DIE XVII MAII ANNO MDCCCC

—

VENERABILES FRATRES

Quod superiore mense susceptum institutumque hoc ipso loco negotium fuerat, eius hodie in extrema parte exituque versamur. Beati Ioannis Baptistae De La Salle beataeque Ritae a Cassia comprehendere animo speciem atque imaginem commode potuistis, propterea quod de vita moribusque eorum, de recte factis, patratisque rerum miraculis relatum fuit ad Consistoria superiora accurate ac distincte. Habetis praeterea commentarios in manu, quibus summatim quidem, ut assolet, sed magna cum fide mandata ea sunt quae in apertum protulit caussae cognitio diuturna ac diligens. — Reliquum igitur est consultare hodierno die, faciendumne sit ut ad honores cultumque caelitibus sanctis debitum, tradito a patribus ritu, evehantur. Non levis diiudicatio, uti perspicitis. Duo enim aguntur, quae ipsius sanctitatem fidei intima necessitudine attingant: alterum, ut sententia de civibus Ecclesiae triumphantis feratur; alterum, ut exemplaria propo-

nantur populo christiano, quibus vitae rationem moresque suos conformare securus possit. Quid isto gravius, quid augustius munere? In quo nimirum mirabiliter elucet summi rectoris et domini Iesu Christi auctoritas pariter ac benignitas. Ab eo enim sunt tam eximia beneficia atque ornamenta profecta: is est, qui Ecclesiae suae impertivit et inexhaustam ad gignendas virtutes fecunditatem et magnificam ad aestimandas honorandasque potestatem. Iam ergo quaerimus ex Vobis singulis, de proposita caussa quid censeatis.

(*S. R. E. Cardinalium sententiae*)

Tum Sanctitas Sua:

Placere Vobis videmus, quae Nostra item sententia est, ut beatus Ioannes Baptista De La Salle et beata Rita a Cassia honoribus caelitum sanctorum rite afficiantur. Decretum est rem exequi: executuri autem sumus idque solemnibus caerimoniis ad aedem Vaticanam Principis Apostolorum die huius mensis vicesimo quarto, sacro ob memoriam Iesu Christi Domini nostri caelum ascendentis. Petimus interim ut consilium propositumque Nostrum commendare bonitati divinae, orando atque obsecrando, velitis.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VENERABILI DEI FAMVLAE

IOANNAE DE LESTONNAC

BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ab ipsis Ecclesiae exordiis sicut eximium decus atque ornamentum, ita praesidium non leve res publica christiana sibi sentit accedere ex iis mulierum societatibus, quae, tamquam auxiliariae cohortes, Dei gloriae animarumque saluti se penitus dediderunt. Romani Pontifices Decessores Nostri earum semper ut laudaverunt operam, sic statuta probaverunt, reique catholicae non parum interesse arbitrati sunt, omni ratione providere, ut huiusmodi societates, aucto numero et studio, florerent fructusque ederent quotidie uberiores. Saeculo sexto supra decimum, cum late disseminati serperent Calviniani errores et veritati caliginem obducerent, dives in misericordia Deus hinc Loyolaeum agmen evocavit, quod maribus iuvenibus subsidio veniret; inde fortium mulie-

rum delectum habuit, quae ope maiori, quam quae praestari ab iis propter sexus infirmitatem posse videretur, feminis adolescentibus apta atque idonea suppeditarent ad salutem adiumenta. Dux atque auspex istiusmodi cohortis fuit Ioanna de Lestonnac, de cuius vita et moribus placet Nobis hodierno die commemorare aliquid, quo sentiant omnes quam egregie merenti caelitum beatorum honores decernantur. Ioanna orta est Burdigalae in Gallia anno christiano millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto a generosis parentibus Richardo de Lestonnac et Ioanna Deyquem quatuor ex filiis natu maxima. Inter parentes genere, opulentia, probitate pares, sed de religione dissentientes die ipso natali contentio exoritur: pater enim catholicus sobolem baptismate ritu catholico mavult abluere; illud ei abnuit mater imbuta haeresi: sed vir propositi tenax de sua sententia rem gerit. Itaque mirum non est si filiola aucta Sacramento in primo limine vitae maternam luem cum lacte non adiunxerit: si blanditias, dolos, invitamenta et conatus omnes quos infelix mater adhibuit, victrix contempserit: si mens tenella praeoccupantem gratiam Dei et ad se vocantem illico sit sequuta. Ubi a pueris excessit, conversis partibus, adniti filia coepit ut matrem, quam mirifice diligebat, a Calvinianis erroribus revocaret et ad veritatem traduceret. Nequidquam tamen: pertinax enim mulier perstitit in deliramentis suis, et Dei famula nihil aliud a suo studio, nisi meritum patientiae et pietatis sibi comparavit. Ob praeclaras animi corporisque dotes, quibus egregia apud omnes

opinione florebat, vix dum aetatis suae septimum et decimum annum attigit, multae illam matronae optimates nurum optaverunt. Si integrum Ioannae fuisset illud quod mallet amplecti vitae genus et suo obsecundare ingenio, haud dubium est quin ipsa ad coenobii claustra convolasset, mundanisque nuptiis caelestes anteferret: sed cum divinae voluntatis interpretem existimaret parentum esse vocem, non gravate fecit quod ipsi iusserunt; itaque collocata est a parentibus primario adolescenti Gastoni de Montferrant, quem morum integritas et catholicae religionis studium summopere commendabant. Hae nuptiae plenae dignitatis, plenae concordiae causam obtulere cur Ioanna diligentissimae matrisfamilias sibi laudem posset adipisci; virum enim suum dilexit unice, curisque domesticis quibus potuit eum relevavit: ex septem liberis quos a matrimonio suscepit, trium acerbam iacturam aequo animo toleravit, quatuor reliquos, non mollibus indulgens blanditiis, sed verae studens eorum utilitati, ad pietatem et ad omnem virtutem informavit, instituit; famulis et ancillis sic praefuit, ut ii matre potius ac magistra Ioanna usi sint quam hera; rei familiari optime consuluit; mundanis coetibus, choreis, publicis spectaculis, nisi officium postularet, constanter abstinuit; ita denique se gessit, ut quae Dei deberet, quae coniugi, quae natis, quae familiae omnia accurate et diligenter persolverit. Mors immatura egregii coniugis, quocum quatuor et viginti annos concordissime vixerat, grave Dei famulae vulnus adegit, eiusque luctuosum discessum diu multumque deflevit, sed

tunc deiecto viro melius intellexit quam fluxae et caducae sint res humanae, eae praesertim quae carissimae et suavissimae habentur, et quam incaute spem et amorem nostrum in eis reponamus. Quamobrem quae modo nupta instar Sarae, ad domi suae gubernaculum sedens, rebus domesticis sedulam dedit operam, nunc eadem vidua nobilis et locuples, Iudith imitata, orationi, bonis operibus et eleemosynis totum animum intendit. Quae apud plerasque viduas solent multorum esse incitamenta vitiorum, liberior vita, genus nobile, divitiarum copia, aetas adhuc florens, praestans corporis forma, integra valetudo, Ioanna, haec omnia quae cumulate obtinet, ad virtutis et sanctimoniae instrumenta convertit. Prodest Servae Dei naturalis ingenii dexteritas, ut ingentia molimina ad Dei gloriam animarumque salutem concipiat; prodest vis et robur corporis, ut nunquam in laboribus in actuosa vita deficiat; prodest nobilitas generis, ut humilitas et mansuetudo splendidius eluceat; abundantia rerum omnium, ut eam cum indigentibus communicet pauperumque sustentet tenuitatem; venustas et pulchritudo, ut castimonia illustrius effulgeat. At sex praeteritis annis post obitum coniugis duas filias natu maiores inter moniales Mariae Virginis ab Angelo salutatae quasi in portu tutissimo collocavit: filio, studiorum curriculo emenso, negotia rei familiaris gerenda commisit, eiusque fidei et tutelae sororem minusculam commendavit. Sic soluta omnibus curis sese expedivit ad explendum desiderium, quod eam iam a parva virgine incenderat, vitae austerioris in sanctimo-

nialium coenobio soli Deo vivendae. Filius simul ac consilii et voluntatis huius a matre factus est particeps, frustra ei obsistere conatur et naturales in ea caritates excitare; frustra orat atque obsecrat, ne se patris solatio destitutum relinquat; quod si minus sui, miserescat saltem matrem filiae adolescentis, cuius pudicitia eius praesidio et vigilantia oportet esse munitior. Ioanna exemplum sanctae Paullae, quae pietatem in filios pietate in Deum superans, nesciebat se esse matrem, ut Christi probaret ancillam, animo non flectitur; sed arctissimos carnis et sanguinis nexus obrumpens, ab amplexu moerentium filiorum se proripit, navem solventem conscendit, Tolosam abnavigat, in asceterii claustra se recipit. Florebat id temporis Tolosae monasterium monialium ex Ordine sancti Bernardi, cuius disciplina tam erat severa, quam quae maxime. Huic instituto Ioanna suum dat nomen, sed paullo post quam vestem induerat in morbum incidit repentinum, quo ingravescente medici post initum inter se consilium decernunt Ioannam ex illo morbo convalescere non posse, nisi a monasterio egrediatur et ad pristinam vivendi rationem se restituat. Serva Dei caelesti visione recreata medentium consilio acquievit, atque antistitae suadenti ut domum reverteret docilis obtemperavit. Ingens fuit gaudium filiorum, quibus insperantibus mater est reddita, complexusque et osculatio mutui amoris indices extiterunt. Non longo tamen temporis intervallo, ubi filiam diviti et nobili adolescenti nuptum dedit, solitudinis et pacis rursus desiderio tenetur, recessumque, ubi procul a fumo strepitu-

que urbium, rerum caelestium commentationi pietatisque exercitationibus dare operam possit, quaerit. Magna eo tempore atque infanda erat pernicies, quam partim Calviniana contagio, partim effraenata morum licentia, partim corruptelae invitamenta et mala exempla in iuventutem inferebant, neque ullum tantae cladi inveniri poterat remedium, nisi a recta adolescentiae institutione. Ad mares quod attinet, satis erat eis consultum per gymnasia et ephebea a sacerdotibus Societatis Iesu aperta et recta; afflictior erat conditio puellarum quibus nihil perfugii, nihil praesidii. Divino quodam lumine illustrata comperit Dei Famula probatarum feminarum necesse esse Ordinem institui, qui Loyoleae familiae imaginem in se referens, ut illa a Iesu, a Maria nomen mutuetur et sub illius posita patrocinio puellarum educationi et disciplinae prospiciat. Communicatis hisce consiliis cum Burdigalensi Antistite et cum sacerdotibus pietate et doctrina praestantibus, postea quam intelligit eos secum in eadem esse sententia, Deo et Partheni fidens, animose se operi accingit. Socias atque adiutrices sibi adsciscit nonnullas mulieres, quae iam se in eius disciplinam tradiderant et alias a quodam sacerdote Societatis Iesu adductas; et hoc parvo manipulo rem aggreditur, quae vim beneficiorum maximam in christianam societatem afferet et gloriam nominis ad posteritatem consecrabit. Quum vere probe nosset ex hac Petri Cathedra, tamquam a stirpe ad ramos, ad omnes catholicas institutiones principium vitae et viriditatis affluere, eumdem Antistitem multis et supplicibus

verbis orat, ut apud Pontificem Maximum Paulum V gratiam opemque suam conferre ne gravetur. Res ad Pontificem sic est delata, ut ipse proclivis, naturam, propositum, statuta nascentis Ordinis agnoscere voluerit et rogatu Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis praepositae litteras Apostolicas bullo signatas ediderit, quibus novensilem Ordinem Filiarum Mariae solemniter approbavit. Non diu desideratus est egregii operis fructus. Nam ut solent experientes et industrii agricolae aquas ex perenni fonte manantes in uberes agros, ubi sementem faciunt, derivare; sic non pauci religiosi Antistites, qui vineam Domini colunt, perspecta utilitate communi, quae ex illo benefico Ordine Filiarum Mariae in puellas, in gentes promanabat, apud Ecclesiam quisque suam earum monasteria condi a Ioanna postularunt. Brevi annorum interstitio piae domus Filiarum Beatae Mariae Virginis et earum gynaecea erecta sunt Biterris, Anicii, Pictavii, Tolosae, Agenni, Pali, aliisque in oppidis Galliae rogatu etiam civitatum atque optimatum, ad quae dedicanda vel ipsamet perrexit Ioanna vel sorores idoneas misit. Quibus in gerendis negotiis fundatrix et moderatrix, quae iam famae celebritate nota erat, omnes et viros catholicos et haereticos tam humaniter, tam comiter excipiebat, et cum iis tam iucundos, tam suaves, officiisque plenos instituebat sermones, ut non semel eos ad pietatem alliceret, pluresque heterodoxos ad catholicam unitatem revocaret. Quibus e rebus humani generis hostis felicibus huiusmodi Congregationis aut Ordinis progressibus acriter intercessit

et futura praesentiens, effecit ut atrox molestiarum tempestas suboriretur. Quum enim seniores moniales in novas domus discessissent et ad summam moderatricem eligendam comitia haberentur, iuniores, novis rebus studentes, Ioannae potestatem ut solebant non prorogarunt, sed eius in locum sororem quamdam humili loco natam et Ioannae infestissimam suffecerunt. Dei famula, quae propter singularem animi submissionem iamdiu studebat a gubernaculo recedere, libenter cessit, et quae Ordinis auctor et moderatrix hactenus extiterat, obedientiam novae Antistitae reverenter exhibuit, suaeque discipulae iniurioso paruit imperio. Incredibile enim est quam perverse et acerbe ab adversaria in Ioannam saevitum sit. Iniquis animadversionibus et conviciis eam afficit, poenas ab innocente repetit, vetat ne quid reliquae sorores cum ea communicent, hortatur ut eam cane peius et angue devitent; demum Ioannam matrem Ordinis legiferam, plenam meritis, aetate gravem, exemplum sanctimoniae et modestiae, iam iam in eo est ut e monasterio deiiciat, deturbet. Dei Famula patiens iniuriarum, reprehensiones, contumelias, poenas, perfecte exsorbet; sorores, quae eius commiseratione commotae indignabantur, de officio subiectarum amanter commonefacit. Dum enim extrinsecus decrevit procella, ipsa servat animi aequalitatem et tanta utitur patientia et caritate, ut ipsa Antistita transversum caecitate quadam acta ad bonam frugem redit: peccati veniam poscit et simultatem in amorem convertit. Ioanna plus illi quam sibi gaudens non veniam modo, sed et gratiam et amicitiam profert,

et singulari caritate eam complectitur. Sed Dei Famula, longa annorum serie et morbis confecta, cum mortem sibi impendere praesentiat, nihil sibi indulgens, acriori studio properat virtutum omnium christianarum absolutionem perfectionemque consequi. Demum brevissimo absumpta morbo, annum nata quartum et octogesimum, inter sororum lacrymas animam efflavit. — Quae iam de Ioannae sanctitate fama longe lateque vagabat, magis magisque post eius mortem percrebuit. Quapropter absolutis omnibus, quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, in Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus, quibus Venerabilis Ioanna de Lestonnac inclaruisset, easque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen Nos ipsi decrevimus XVI Calendas Aprilis MDCCCXCI. Postea quaestio agitata est de miraculis, quae, Venerabili Dei Famula deprecante, a Deo patrata ferebantur; rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, tria miracula vera et explorata sunt habita; ideoque Nos XII Calendas Februarii huius vertentis anni decretum edidimus de eorumdem miraculorum veritate. Illud supererat ut dicta Cardinalium Congregatio rogaretur num tuto procedi censeret ad Beatorum honores Venerabili Ioannae de Lestonnac decernendos: eaque in generali conventu coram Nobis habito III Calendas Februarii eiusdem anni tuto id fieri posse unanimiter respondit. Attamen Nos in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense

fecissemus, tandem v Calendas Martias huius anni solemni decreto pronunciavimus procedi posse tuto ad solemnem Venerabilis Ioannae de Lestonnac Beatificationem. — Quae cum ita sint, Nos moti precibus totius Ordinis Filiarum Beatae Mariae Virginis, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, facultatem facimus ut eadem Venerabilis Dei Famula Ioanna de Lestonnac Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus ut de illa recitetur Officium et Missa singulis annis de Communi non Virginum cum oratione propria per Nos approbata iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Eiusmodi vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri concedimus Burdigalae in civitate, itemque in omnibus templis Monialium Ordinis Filiarum Beatae Mariae Virginis ab omnibus christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quoad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias in quibus festum agitur confluentibus. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Ioannae de Lestonnac in templis praefatis celebrentur cum Officio et Missis ritus duplicis maioris, quod fieri praecipimus die per Ordinarium designando intra primum annum ab eisdem solemnibus in Patriarchali Basilica Vaticana celebrandis. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non-cultu editis, ceterisque contrariis qui-

buscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manu Secretarii supra dictae Congregationis subscriptis et sigillo Praefecti munitis, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XX Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

Loco ✠ Sigilli

A. CARD. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
BEATO IOANNI BAPTISTAE DE LA SALLE
SCHOLARVM CHRISTIANARVM FVNDATORI
SANCTORVM CAELITVM HONORES
DECERNVNTVR

—

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Antequam Christus super omnes caelos ascenderet ut ad Patris dexteram sederet, discipulorum spem ita erexit suavissimis verbis, ut tamen eos de pressuris moneret, quas habituri essent in mundo. Sic videlicet deliberatum erat ut sicut ipse per crucem salutis nostrae inimicos palam triumphaverat, ita nos non aliter quam per multas tribulationes introiremus in regnum caelorum. Ut tamen in hac lucta adversus spiritalia nequitiae nemo animum despondeat, opportunum est ut, praeterquam in auctorem fidei et consummatorem Iesum, aspiciamus in eos qui in agone ante nos contenderunt ac modo coronantur et accipiunt palmam. Et huc quidem spectat ea Apostolici mu-

neris pars ac potestas, qua Dei famulos heroicae virtutis laude praestantes, accedentibus ab ipso Deo signis et prodigiis, christiano populo colendos proponimus, ut nobis scilicet, qui adhuc peregrinamur a Domino, exemplo sint pariter et praesidio. — Hac autem potestate laeti libentes hac etiam die fungimur, quum Ioanni Baptistae De la Salle, sacerdoti, et Scholarum Christianarum Institutori, caelestium sanctorum honores decernimus. Adest enim ex toto orbe frequentissima fidelium corona quae, ob annum sacrum a Nobis indictum, ad hanc urbem et Apostolorum exuvias convenit: appropinquat et novi saeculi initium, cui maxime proderit Ioannis Baptistae documenta et exempla usurpanda proponere; nam exoptatae pacis iustitiae munere haud aliter licebit frui, quam si tenera et adolescens aetas in timore Domini et ad Evangelii leges educetur.

Rhemis, in urbe Galliarum nobilissima, pridie Kalendas Maias anno MDCLI, illustri loco natus est Ioannes Baptista, praeclarum gentis suae et catholici nominis ornamentum futurus. Quam pietatis suavitatem toto vitae tempore prae se tulit, eamdem a puero demonstravit. Festivo quamvis ingenio, lusus iocosque a teneris abhorruit, delicias unice e sanctorum historiis hauriens. Quum vero egredi domo licuit, praecipua illi voluptas sacras aedes invisere, ubi ad augustissimum Eucharistiae sacramentum et ad sanctam Dei Matrem tamdiu tantaque gravitate et ardore fundebat preces, ut adstantibus admirationi esset.

Mature scholas frequentavit; quo in officio modestia et addiscendi studio sic praelucebat, ut magna de eo

magistri pollicerentur patri. Qui quidem in magistratum civitatis adlectus, utpote qui Ioannem, maiorem natu, prae reliquis septem filiis, adamabat, illum propagandae tuendaeque familiae destinabat. Sed aliter Deo placitum ac praestitutum. Eius namque instinctu adolescens Dominum partem hereditatis suae elegit et in sacrum Clerum cooptari statuit. Nec, pro sua in Deum religione, obstitit genitor. Ioannes vero adeo se dignum suscepto habitu statim exhibuit, ut, obsistente nemine, Rhemensi canonicatu auctus fuerit; quod munus convenientium virtutum studio illustravit. Quadriennio exacto, Parisios in Sulpiciano Seminario theologicis disciplinis daturus operam contendit. Ubi addiscendi ardore ac vitae sanctimonia adeo se probavit, ut nemo eius discessum aegre non tulerit, quum, demortuo patre, domum redire coactus est, ut rei familiari iuniorumque fratrum educationi consuleret. Quo in officio mire eluxit iuvenis prudentia; nam sic omnia disposuit ut familiae religiosae domus speciem referret. Quidquid porro temporis a domesticorum cura supererat, totum Ioannes orando studendoque tribuebat, id unice spectans ut sacerdotali muneri, quod maxime avebat, sese opportune disponeret. — Quod ut melius ipsi cederet, moderatorem conscientiae adhibuit Nicolaum Roland theologum Rhemensem, virum virtute egregia; quo auctore, ad scholas puerorum e plebe iuvandas se applicuit. Quin etiam, eodem suadente, utque erat amore fluxarum rerum omnino expers, canonicatum cum sancti Petri paroecia commutare voluit: at id quamvis ab Archiepiscopo instan-

tissime contenderet, non permisit Antistes, ne canonicorum collegium tanto iuvene privaretur. — Theologiae curriculo maxima cum laude confecto, septimum supra vicesimum aetatis annum agens, Rhemis, in Metropolitano templo, sacerdotio auctus est, Sabato sanctioris hebdomadae. Tum autem luce postera, nulla adhibita, ut ipse statuit, exteriori celebritate, sacris primum operatus est, adstantibus omnibus admiratione perculsis fidei et caritatis indiciis, quae in eius ore micabant. Quam in perlitando pietatem, toto corporis habitu elucentem, constanter retinuit; ut non raro, qui intererant, eo adspectu commoti, propositum melioris vitae conciperent. — Quia porro Ioannem non fugiebat, sacerdotis officium esse et mystico Christi corpori navare operam, coepit illico se proximorum utilitatibus devovere: frequens erat in invisendis aegrotis, solandis afflictis, miseris omne genus iuvandis, concionibus, ac missionibus habendis, confessionibus excipiendis. Quibus industriis plures ad meliorem frugem adducebat. Interim vero, sui non immemor, quotidianos in virtutibus progressus faciebat; in demissione animi praesertim, mansuetudine, despicientia rerum fluxarum, abnegatione sui, suaeque voluntatis uniformitate cum divina. Suscepto vix sacerdotio, conscientiae moderatorem, morte interceptum, amisit; a quo legatam habuit provinciam regendi Sorores a puero Iesu, quarum ille institutor fuerat, ut pauperes puellas, nulla spe lucri, docerent. Hoc in munere Ioannes ea fuit prudentia et constantia, ut institutum illud, ob gravissimas difficultates pene interi-

mendum, servarit incolume: quin et litteras a Rege obtinuit, quas *patentes* vocant, quibus et congregationis securitati et scholis eiusdem in posterum consultum fuit.

Quas industrias puellis instituendis Rolandus adhibuit, easdem et pueris educandis adhibere statuerat. At mors volenti obstitit. Verum, haud ita multo post Hadrianus quidam Niel ludimagister, Rhemos a matrona quadam Ioannis consanguinea missus, advenit, ut cum eo de instituendis puerorum scholis ageret. Quantas id opus difficultates praeferret, vidit statim Ioannes; propositum tamen laudavit, ac Nielio sese adiutorem spopondit. Primum igitur Deum ut suo se lumine collustraret instantissime precatus est: tum, sibi penitus diffidens, prudentissimorum e clero consilium expostulavit. Quibus demum probantibus, magna hominum expectatione, prima schola in Mauritiana paroecia fundata est, et paucos post menses altera ad sancti Iacobi. Alumnis tamen confluentibus magistrorum copia deerat: addebatur quod Nielius, eorum veluti moderator, ferventiori, quam par esset, ingenio ferebatur ac frequentius aberat. Periculum Ioannem non fugit; quapropter ut magistros in officio contineret, frequens eos invisebat monebatque; deinde ut efficacius adiumento esset, illos, ad aedes suas, in unam domum collegit. Quia porro Nielium, docendo quidem parem, ast magistris formandis imparem cognovit, ne tota res corrueret, in eam Ioannes devenit sententiam ut magistros ipsos penes se haberet convictuque suo donaret; id quod, adhibito prius gravium virorum consilio, festo Praecursoris

die, an. MDCLXXXI exequutus est. Quia tamen hoc propinqui, quasi indecorum nomini, indigne ferebant; sequenti anno eodemque die, in aedes alias cum magistrorum coetu commigravit, ubi Instituti sui sedem fixit.

Hoc videlicet facto Deus ipse visus illius inclitae Congregationis fundamenta iecisse, quam catholicum ubique nomen merito suspicit, atque ipso ab exordio satanas et religionis osores, utpote sibi maxime infestam, aggredi totis viribus ac penitus labefactare conati sunt. Cuius quanta esset utilitas sapientibus quibusque statim patuit. Ioanne curante, atque obsecundante Deo, biennii spatio, Rethelii, Guisae, Lauduni et in Castro Portiano scholae apertae sunt; quae, quod optimis magistris optimeque docentibus instructae, a confertissimo puerorum agmine celebrabantur, magno plane, non puerorum modo, sed rei sacrae ac civilis emolumento.

Tot igitur curis distentus Ioannes, ut erat officii retinentissimus, canonicatu iterum abire statuit. Qua in re mens etiam erat alumnis suis exemplo praeire, paupertatem simul habendamque in Deo fiduciam omnem commendando. Egit eapropter cum Rhemensi Archiepiscopo de abdicando munere: is autem negare primum; tum, viri sanctimoniam et prudentiam miratus, annuit ea conditione ut Ludovico fratri natu minori beneficium cederet. Ioannes tamen, carni et sanguini minime acquiescens, propinquis aliisque frustra obmurmurantibus, sacerdotem pium et inopem fratri praetulit.

Neque id Dei famulo satis visum. Nam, ut ipse insti-

tutique alumni omnem penitus sollicitudinem in Deum proiicerent, re probe perpensa, quidquid sibi patrimonii obvenerat pauperibus erogare decrevit. Cui facto opportunam nactus est occasionem anno MDCLXXXIV, quo tempore summa fuit annonae caritas. Christum ipsum in pauperibus inspiciens, eos saepe de genu excipiebat. Quumque ita rem suam omnem distribuisset, ipse idem, probra hominum negligens, victum ostiatim emendicare coepit. Insanire quidem vir Dei prudentibus saeculi visus est; at Deus fiduciam eius sic rependit, ut, toto biennio, quo arctior annona fuit, nihil Ioanni alumnisque illius, ut ut egenis, defuerit nulloque alieno aere gravati sint. Qua Numinis providentia sanctus Legifer sollicite usus est ad suos in paupertatis amore firmandos, unde et humilitas nascitur, quae ceterarum virtutum mater est atque altrix.

Eo ex tempore Ioannes, quamvis viribus tenuis, severius vivendi genus amplexus est: nam rudi amictu et modico vilique cibo contentus, somnum carpebat perbrevem, cilicio et catena aculeis aspera, flagrisque ad sanguinem adhibitis membra atterebat. Infirmitates vero, graves saepe ac molestas, quibus afflictabatur, leni erectoque animo ferebat. Iniurias et probra clementer excipiebat, laetus quod ita Christum pro se opprobriis saturatum imitari aliquatenus daretur. Coram Deo assidue ambulans, quidquid vacui supererat temporis et noctes saepe integras orando insumebat.

Tantarum virtutum fama permoti, multi viro Dei sese

discipulos addixere; quorum erat studium magistrum pro viribus aemulari. Ipse vero totus erat in illis instituendis tum religiose vivendi, tum rite docendi ratione. Quorum cum nonnulli iuniore essent aetate, seminarium eis ac veluti tirocinium condidit, ubi aptius ad susceptum vitae institutum erudirentur. Ne autem ruricolarum pueri paratum urbanis subsidium desiderarent, eodem tempore Dei famulus seminarium aliud patere voluit, ruralibus magistris formandis; quod initium fuit atque exemplum scholarum, quas serius normales dixerunt, maximi sane religioni et reipublicae emolumenti.

Haec inter Ioannes primum generalem coetum instituti sui alumnorum celebravit. Praemisso sacro recessu, multa ibi agitata et statuta de regulis, de amictu, de votis nuncupandis. Tum festo die Trinitatis augustae, Legifer ipse una cum duodecim fratribus temporario obedientiae voto sese obstrinxerunt; quod postea, decennio elapso alteroque coetu habito, perpetuum nuncupaverunt.

Anno MDCLXXXVI, quum iam Scholarum Christianarum Societas, datis etiam legibus, constituta videbatur, Ioannes Baptista, ut erat sui despicientissimus, alium sibi in supremo regimine sufficiendum censuit. Obstitere primum fratres, quos ideo advocaverat; at demum, viri sancti moerorem miserati, in eius locum fratrem L'Heureux fecerunt, cui statim Legifer, primus et in exemplum, paruit. Id tamen cum Rhemenses generales Vicarii minime probassent, Ioannes depositum munus iterum suscipere coactus est. Qui dubitans ne ideo id fieret, quia frater

L'Heureux sacerdotio auctus non esset, de eo initiando cogitare coepit. At is paullo post moritur. Cuius obitum reputans Dei famulus ideo evenisse, quod minime divino Numini placeret alumnos instituti sui ad sacerdotium evehi; haec duo lege sanxit, ne ulli Fratrum Christianarum Scholarum sacerdotium in posterum petere liceret, neve in eorum scholis latinae linguae magisterium esset.

Anno MDCLXXXVIII cum Lutetiae Parisiorum nova gymnasia condi placeret, advocatus Ioannes eo cum sociis binis contendit. Ibi vero, non veteres solum scholas ordinavit, sed et alias aperuit; tirocinium suis in Valle Girardi condidit; scholas dominicales pro operariis fundavit, earum praeludium quae nunc sunt ad peculiares excolendas artes et ad perseverantiam christianae institutionis curandam; Seminarium, ut Rhemis, magistris laicis ruralibus formandis stabilivit; nutu demum Iacobi II regis, Anglia extorris, collegium moderandum suscepit, in quo quadraginta nobiles ex Hibernia ephebi ad humanitatem omnem et ad catholicam pietatem excolerentur.

Non haec tamen hostis humani generis quiete tulit; quin difficile dictu est quot contra difficultates attulerit quantamque viro Dei invidiam conflarit. Illatae lites a coetu magistrorum, qui suos deseri ludos dolebant; Fratrum scholae depopulatae, per vim dimissae; amissa amicorum benevolentia; tandem Ioannes ipse a superioribus ecclesiasticis, ob falsas accusationes, abire munere coactus, suffecto in eius locum externo homine qui religiosos alumnos regeret.

Vir mitissimus omnia benigne tulit, nihilque ideo de studio divinae gloriae remisit. Gliscebat eo tempore per Galliae urbes Ianseniana haeresis, lateque mentes inficiebat. Ioannes igitur, cui sanctum semper fuit Romani Pontificis auctoritatem vereri iussaque facere, in Iansenii errores profligandos toto nisu insurrexit. Ratusque haud melius securitati alumnorum sui instituti se posse prospicere, quam si illos Romanae Cathedrae arctissime devinciret; anno MDCC, quum nempe familia eius maxime tempestatibus iactaretur, binos e suis Romam venire iussit, quorum alter Gabriel Drolin fuit, qui viginti ipsos et octo annos in Urbe versatus est, legiferi Patris mandata constanter faciens. Quae quidem ad haec capita reduci placuit: « ut consociationis arbor illic figeretur, ubi radices agere valeret altius, scilicet in unitatis centro subque oculis et auspiciis Apostolicae Sedis: ut cum Romana Ecclesia ipso veluti corpore arctius coniungeretur, quae nec deficere neve errare unquam potest, portis inferi frusta contra enitentibus: ut a Christi Vicario regularum approbatio veniaque tria religiosorum vota emittendi impetraretur: ut sibi suisque Pontifex bene precaretur facultatemque faceret christianam catechesim. Episcopis annuentibus, docendi: ut demum apud Pontificem Maximum suae quasi fidei vadem haberet obedientiaeque sponsorem ». Praeclara sane mandata sanctoque digna viro: qui etsi quidquid iniuriarum inferretur tolerabat patientissime, hanc tamen toto nisu a se repellebat, si Romanae Cathedrae infestus per calumniam traduceretur.

Missos a Ioanne Baptista alumnos benignissime excepit Clemens XI, eisque scholam moderandam attribuit, quod et alii post illum decessores Nostri fecerunt. Interea, quum adhuc Parisiis a laicis magistris in Scholarum Christianarum Fratres turbaretur, Ioannes Baptista Rothomagum advocatus est anno MDCCV, ubi, magnis superatis difficultatibus, ludos aliquot pueris gratis excipiendis aperuit. Paullo post tirocinium in pagum Saint-Yon, prope eamdem urbem, transtulit, inque adiectis aedibus magisteria mercaturae atque artium instituit primus. Adolescentes etiam corrigendos suscepit: quos suaviter simul fortiterque moderans ad meliorem frugem adduxit.

Haec inter, Deo favente, Ioannis Baptistae institutum augescebat. Carnuti, Caleti, Trecis, Avenione, Divione, Massiliae, Mimati, Alesiae, Gratianopoli, Molinis, Versaliis aliisque in locis sodales felici exitu desudabant. At persecutio deesse non poterat, iis qui pie volebant vivere in Christo Iesu. Massiliae Ioannes, optime a civitate exceptus, cum Iansenianos, de Romano Pontifice obloquentes, publice severeque redarguisset, horum in se atque suos invidiam concitavit. Quamobrem, eis agentibus, qui iniuriosum etiam libellum in beatum virum ediderunt, Fratrum familia ad extremam primum inopiam devenit: mox vero quotquot erant amici, quin et nonnulli ex alumnis Ioannem deseruerunt, imprudentiam eius causantes immodicumque ardorem. Sic ipse igitur Parisiis per calumniam damnatus, Massilia pulsus, derelictus ab

omnibus, moerentissime vivebat; tantamque familiae cladem noxarum suarum caussa evenisse reputans, Gratianopolim petiit ut ibi divino placando Numini vacaret, sive noctes orando ducens, sive austeritatibus solito severioribus in se saeviens. Interea puerulos demissione maxima docebat et, alumnorum instituti utilitatibus prospiciens, mittebat qui eos inviseret, et libros eorum usui conscribebat. — Ecce autem Bulla *Unigenitus* in vulgus editur, qua Romanus Pontifex iansenianos errores damnabat. Tum Ioannes officii sui esse duxit Fratres, qui Gratianopoli erant, ad se vocare; eisque apto sermone ostendens quid veneni in damnatis propositionibus lateret. illos gravissime commonefecit ut a novitatibus abhorrerent, traditam Ecclesiae doctrinam tenerent, reciperent quidquid ipsa recipit. quidquid respuit respuerent. nihilque sanctius haberent quam eidem, seu per Concilia seu per Romanum Pontificem docenti ac iubenti parere penitus. Quae quidem Patris monita non fuisse irrita probat constantia qua Sodalicium ab eo fundatum Sedi Apostolicae semper obtemperavit.

Anno MDCCXIV Ioannes iterum Parisios advocatur a suis. Paruit ille advocantibus, at eo praecipue spectans ut vetus propositum exequeretur sese demum regimine abdicandi. Id illi et demissio animi et prudentia suadebat; cogitabat enim, si unus ex Fratribus sodalicio regundo praeponeretur, fore ut ceteri libentius essent dicto audientes nec de instituto quidvis facile mutaretur. Quamobrem negotium subinde cum unis alterisve agebat: et quamvis

primum inutili conatu, demum, coacto Rothomagum coetu, die Pentecostes anno MDCCXVII voti compos est factus, suffecto in eius locum fratre Bartholomaeo. — Alterum erat quod in ipso coetu tractandum susciperetur, legum videlicet cognitio, quae magnam partem iam servabantur et a Ioanne Baptista, anno circiter MDCXCV, conscriptae fuerant. Cuius rei providentia tota a Sodalibus Ioanni ipsi permissa est; qui, suprema manu adhibita, regularum codicem ad omnes Sodalium familias, in posterum servandum misit. Cui, utpote sapientiae pleno et supernaturalis spiritus et ad praxim vel maxime accommodato, accessit postmodum Benedicti XIII Pontificis Maximi sanctio.

His peractis Ioannes biennio adhuc vixit, quo tempore meditari caelestia, corpusculum ieiuniis, flagellis, ciliciis atterere, obedire in exemplum, fratres piis adhortationibus et confessionibus excipiendis iuvare, illi fuit assiduum. Semel tantum secessum silentiumque interrupit: tum videlicet quum Ianseniani ipsius nomen eos inter inscribere sunt ausi, qui vulgo *appellantes* dicebantur; nam datis publice litteris, calumniam a se removit, iterum iterumque testatus sibi nihil antiquius nihilque sanctius, quam esse ac manere in Romani Pontificis obedientia.

Ut vero Deus servi sui merita impleret, opprobriis saturari ad finem usque permisit. Nam turpis mendacii apud Archiepiscopum suum per invidiam accusatus, data ab Antistite sententia, omni potestatis exercitio in conscientiae foro privatus est. Damnationis nuncium viro Dei

extremo ex morbo decumbenti delatum fuit, quod ille mitissime accepit nil tendens contra.

Instante quadragesima anno MDCCXIX, ad rheumatismi dolores, quibus Ioannes iamdiu laborabat, accessit anhelationis difficultas gravis ob asthma et offensio capitis fortuito ianuae cuiusdam lapsu. Quibus ex causis cum sibi haud porro diu vivendum audisset, magnopere laetatus est quod liceret tandem in gaudium Domini sui intrare. In praeludio festi sancti Ioseph, cui ille se suamque sodalitatem dicaverat, sacris operari exoptavit; Deoque repente vires reddente, sequenti die ad aram fecit; quod reputantes alumni eius, gestiebant laetitia, erat enim fiducia restitutae in integrum sanitatis. At paucis exactis horis, ingravescit morbus; mors adest imminens. Quod Ioannes advertens, suprema discipulis mandata dare voluit, quibus arreptum perfectionis iter tenere constanter pergerent. Praeter obedientiam mutuamque caritatem, commendavit praecipue obtemperationem et observantiam Apostolicae Sedi, ad quam, inquit, se duos misisse alumnos, qui Romae degerent, testes addictissimae voluntatis suae atque ipsorum. Amarent autem toto cordis affectu Iesum Christum servatorem nostrum, eique frequenter per Eucharistiam augustam coniungerentur. Tum sanctissimam Matrem eius in deliciis haberent, et castissimum illius Sponsum. Sodalicii patronum. peculiari cultu prosequerentur. — Biduo post, extrema Ecclesiae Sacramenta expetivit. Dumque ad illum sacrosanctum Christi Corporis viaticum deferretur. cubiculum

decentius instrui voluit, seque vestibus, amiculo et stola indui; novasque caritate vires sufficiente, Eucharistiam de genu adoratam summa cum reverentia suscepit. Feria v maioris hebdomadae sacro oleo inunctus est; gratiisque Deo agendis septem ipsas horas impendit. Sub vesperum, fratre Bartholomaeo efflagitante, universis Instituti alumnis bene precatus est. Tum statae preces habitae ad animi exitum commendandum; hisque persolutis, iterum fratribus inculcavit ut a mundo abhorrentes, viverent ac morerentur in ea vocatione qua vocati fuerant. Duas et sesquihoram iam in supremo agone immotus persistebat, cum protinus, velut a somno excitus, praescriptam sodalibus serotinam precationem *Maria mater gratiae* devote recitavit: deinde exclamans: *Adoro in omnibus voluntatem Dei circa me,* oculis in caelum sublatis, manibus decussatim positis, placide obdormivit in Domino; hora fere quarta feriae sextae maioris hebdomadae, die VII Aprilis MDCCXIX, aetatis anno sexagesimo octavo.

Vix dum famuli Dei mors innotuit, unus omnium fuit moeror: omnes, nulla cuiusvis coetus vel conditionis exceptione facta, defuncti virtutes et benefacta extollebant. Cum corpus exanime, sacerdotali amictu, in sacello expositum fuisset, magnus undique concursus fuit; quod item in funere accidit. Nullus autem abire volebat quin aliquid de indumentis eius auferret, tamquam pretiosum pignus servandum.

Neque haec supra meritum; tanta enim erat apud omnes eius sanctimoniae fama et existimatio. Quae quidem

fama, procedente tempore non viguit modo sed aucta est; accesserunt etenim signa, quibus confirmare illam Deus ipse videbatur, simulque ostendebatur placere Numini aeterno ut caelestes Ioanni Baptistae honores decernerentur. Quae tamen post tempus aliquod gravissimae in re publica turbationes sunt factae, pium impedivere officium. Serius igitur processus initi auctoritate ordinaria; quibus, Rothomagi, Rhemis ac Parisiis confectis et in Urbem demum delatis riteque perpensis, Gregorius XVI fel. rec. commissionem introductionis causae sua manu signavit Kalendis Maii anno MDCCCXXXIX. Deinceps, praemissis, prouti ius est, Apostolicis processibus eisdemque probatis, in sacrorum Rituum Congregatione de heroicis Ioannis Baptistae virtutibus agi coeptum; ac Pius IX decessor Noster, Kalendis Novembribus anno MDCCCLXXIII edixit solemniter: Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, ut procedi posset ad discussionem quatuor miraculorum.

Placuit tamen Nobis ut, pro decernendis Ioanni Baptistae caelitum Beatorum honoribus tria tantum miracula proferri sufficeret. Fuerunt autem: Instantaneae perfectaeque sanationis fratris Adelminiani e Congregatione Scholarum Christianarum ab ataxia locomotrice progressiva; instantaneae perfectaeque sanationis decennis pueri Stephani de Suzanne a lethali bronchite capillari; instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Magdalenae Victoriae Ferry

ab hydropericardite chronica insanabili, aliis gravissimis morbis complicata. De quibus, postquam triplici disceptatione a sacra Rituum Congregatione fuerunt cognita, Nos ipsi solemni Decreto constare ediximus Kalendis Novembribus anno MDCCCLXXXVII. Ad rem igitur conficiendam unice supererat ut dubium discutiendum proponeretur: An stante approbatione virtutum ac trium miraculorum tuto procedi posset ad solemnem Venerabilis Ioannis Baptistae beatificationem. De ea re *affirmative* responsum in generali Coetu eiusdem sacrae Congregationis Rituum, in Vaticanis Aedibus XVII Kalendas Decembres MDCCCLXXXVII habito coram Nobis; qui idcirco, V Kalendas, decrevimus: Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae De la Salle beatificationem. Et haec reapse ad Vaticanum solemniter peracta fuit die XIX Februarii anno MDCCCLXXXVIII.

Post illa, alia atque plura, Beato novensili deprecante, placuit Deo patrare miracula. Ex quibus duo electa et proposita ad Canonizationem impetrandam. Primum accidit Leopoldo Tayac adolescenti in Ruthenensi Galliarum Collegio educationis causa commoranti. Hunc, anno MDCCCLXXXVIII, dira incessit pneumonites quam, quia sanguinem infecisset, sanari nullo pacto posse iudicavere medici. Morbi gravitate vix cognita, collegii Moderator preces ad beatum De la Salle statim adhiberi iussit. At morbus saevior factus; accessere quin imo convultiones dirae, quibus miseri adolescentis animus turbabatur penitus et corpusculum horrendum in modum iactabatur. Spem tamen non despondit

Moderator, sed monuit suos precibus instandum impensius. Haec inter puero iam animam agenti mater aderat: cum repente aegrotus expergefactus illam suavi obtutu respicit, agnoscit, seque sanum profitetur. Teterrimi morbi symptomata evanuisse advocati medici mirantes testati sunt.

Contigit miraculum alterum anno eodem in religiosa domo vulgo *Maisonneuve* prope Marianopolim. Netheelmus e Sodalicio Scholarum Christianarum, ob laesam spinam, tam gravem contraxerat poliomielitem ut absoluta prorsus paraplegia laboraret, cruribus praeterea non modo inflatis sed alte vulneribus affectis. Orabat miser ut caelitus auxilium ferretur; sed frustra: cum Superior illi suasor fuit ut ad beatum Fundatorem confugeret. Paruit Netheelmus; et postquam sancta de altari libaverat, dum acerrime doloribus torqueretur, ad beatum conversus: Si vis, exclamavit, tu potes me sanare. Dixerat; illico in crura vis redit; abiecto baculo, certo gradu Netheelmus incedit, nullo vulnerum vestigio servato.

De his igitur miraculis postquam triplici, ut iura ferunt, actione disceptatum esset, Nos, die xxx Aprilis superiore anno, solemniter decrevimus: constare de duobus propositis miraculis: instantaneae videlicet perfectaeque sanationis Leopoldi Tayac a gravissima pneumonite cerebralibus atque letiferis stipata symptomatibus; et instantaneae perfectaeque sanationis Fratris Netheelmi e Congregatione Scholarum Christianarum a poliomielite chronica transversa lumbari et ab ulceribus in crure.

Reliquum ergo erat ut in generalibus sacrae Rituum

Congregationis Comitiis dubium proponeretur: An tuto procedi possit ad solemnem beati Ioannis Baptistae De la Salle canonizationem. Id factum die XXIX Maii anno superiore; omnesque quotquot aderant tum dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, tum eiusdem Congregationis sacris tuendis ritibus Consultores, suam protulere sententiam. Qua rite excepta, Nos ipsi, post imploratum a Deo auxilium, die II Iulii eodem anno, Dominica VI post Pentecosten, solemniter ediximus: Tuto procedi posse ad solemnem Beati Ioannis Baptistae De la Salle Canonizationem.

His omnibus praemissis et constitutis, ut in solemnissima caeremonia cuncta quae a Praedecessoribus Nostris ad eius celebritatem et decus sapienter praescripta sunt, felicem exitum obtinerent; primum S. R. E. Cardinales universos, die XIX Aprilis labente anno, sententiam quemque suam prolaturos, in Consistorio Nobis adesse iussimus: qui, dilecto filio Balthassar Capogrossi Guarna, Consistorialis aulae Advocato, de gestis Beati Ioannis Baptistae dicente audito, Nos ad legitimam huius causae definitionem uno ore cohortati sunt. Curavimus interea ut non viciniores solum Episcopi sed remotissimi quoque de tanta solemnitate, per litteras a sacra Concilii Congregatione in id datas, admonerentur, ut Nobis, si facultas esset, adstarent, sententiam item suam prolaturi. Qui cum ex regionibus universis non pauci convenissent; causa probe cognita tum ex iis quae gesta eo usque fuerant, praesertim in publico Consistorio coram Nobis, ut diximus,

tum ex Actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar singulis est traditum; in Consistorio semipublico, die x Maii hoc anno, pariter coram Nobis coacto, in eamdem omnes, ac dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, ivere sententiam. Cuius rei instrumenta publica, a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis illata sunt.

Solemni igitur Canonizationi celebrandae diem praefinivimus XXIV Maii, qua die memoria Domini Nostri Iesu Christi, triumphato humani generis hoste, in caelum ascendentis hoc anno recolebatur. Interea tamen, communi indicto ieiunio, fideles vehementer hortati sumus ut ferventes ingeminarent preces, iis praesertim in templis, ubi Sacramentum augustum publice adorandum ex praescripto exponeretur; ideo videlicet ut et ipsi ex tanta caeremonia uberiores perciperent fructus, Nobisque in tam gravi officii Nostri munere Spiritus Sanctus benignus adesset.

Advenit demum auspicatissima dies et optatissima. Quamobrem cuncti tum saecularis tum regularis cleri Ordines, cuncti Romanae Curiae Praesules et Officiales, omnes denique, qui Romae aderant, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates in Vaticanam Basilicam, cultu magnifico ornatam, convenerunt: Nosque, iis omnibus solemni supplicatione praeeuntibus, eamdem ingressi sumus. Tunc vero dilectus Filius Noster Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella pro-Datarius et Sacrae Rituum Congre-

gationis pro-Praefectus itemque Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Philippo Pacelli Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antistitum universaeque Scholarum Christianarum Familiae ut Beatum Ioannem Baptistam De la Salle, una cum Beata Rita a Cassia, in Sanctorum numerum referremus. Quod cum iterum ac tertio memorati Cardinalis Aloisi-Masella et Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus instantius et instantissime fecissent, Nos, caelesti lumine ferventer implorato, « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione et voto venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum consilio, praedictum Ioannem Baptistam De la Salle, Congregationis Scholarum Christianarum Presbyterum Fundatorem, Sanctum Confessorem esse diximus ». Ei vero, Decreto eodem, sociavimus B. Ritam a Cassia Sanctimonialem professam Ordinis Eremitarum Augustinensium, Iesu Christi imitatione et amore, nec non virtutum omnium laude ac miraculorum gloria celeberrimam. Memoriam porro S. Ioannis Baptistae De la Salle, quotannis die decima quinta Maii recolendam, in Martyrologio Romano notari mandavimus, et Christifidelibus, qui eo die exuvias eius venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo concessimus. Denique de tanto

beneficio gratias Deo Optimo Maximo ex corde egimus, Sacroque solemni adfuimus, quod venerabilis Frater Noster Aloisius Oreglia Cardinalis Decanus et Episcopus Ostiensis et Veliternus fecit. Post Evangelii lectionem, Clerum populumque homilia alloquuti sumus, hortantes ut, non modo Apostolorum Principes, sed Sanctos etiam novensiles, spei pleni et caritatis, sibi, Ecclesiae, societati hominum universae propitios mererentur. Postremo plenariam cunctis adstantibus peccatorum indulgentiam amantissime impertiti sumus. Hasce vero litteras sub Plumbo expediri mandavimus.

Benedictio igitur et claritas et gratiarum actio sit Christo Deo humani generis Restitutori, qui servum fidelem Ioannem Baptistam De la Salle gloriae suae splendore illustravit nobisque providens proposuit, ut scire melius possimus supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Hac nempe supereminenti Christi scientiae caritate incensus Ioannes Baptista familiam, dignitates, opes, quin et seipsum animose posthabuit, suaque faciens Christi Domini verba: *Sinite parvulos venire ad me,* gratuitae popularis iuventutis ad religionem et bonas artes institutionis se totum impendit. Hoc fecit perfecitque in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam. Adeo vero in omnem plenitudinem Dei impletus est ut, futurarum aetatum divino instinctu necessitati prospiciens, nullum praeterierit instituti genus, quod edocendae erudiendaeque adolescentiae

esset aptum. Quapropter, non solum pauperum scholas auxit numero, perfecit methodo; sed primus omnium professionales, quas nunc dicunt, tum artibus tum commerciis exercendis scholas fundavit; itemque, quod maximae utilitatis est atque laudis, normalia instituta magistris formandis excogitavit, constituit; eisque, fide et animorum studio et amore Romanae Ecclesiae ducente, optimas sancivit leges normasque dedit, quae similibus deinde operibus quamplurimis, exemplo eius invectis, usui fuerunt ac porro sunt. Habetis igitur, quotquot estis sancto magistrorum nomine digni, quem suspiciatis, quem in magisterio vestro totis viribus aemulemini, quem apud Deum intercessorem adhibeatis, ut christianarum gentium scholae ab insidiis dominatuque satanae eiusque asseclarum eripiantur.

Omnibus itaque quae inspicienda erant rite perpensis, certa ex scientia et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, cuncta et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus; mandantes ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere aut attentare praesumpserit vel ei ausu temerario contraire, indignatio-

nem omnipotentis Dei, et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Sacro, ab Incarnatione Dominica millesimo nongentesimo, IX Kalendas Iunias, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

✠ Ego LEO Catholicae Ecclesiae Episcopvs

✠ Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano, S. R. E. Camerarius, S. C. Decanus.

✠ Ego L. M. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Parocchi, S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego S. Episcopus Tusculan. Card. Vannutelli, Maior Poenitentiarius.

✠ Ego M. Episcopus Sabin. Card. Mocenni.

✠ Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi.

✠ Ego V. Episcopus Praenestin. Card. Vannutelli.

✠ Ego M. tit. S. Laurentii in Lucina Protopresbyt. Card. Ledochowski.

✠ Ego C. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego A. tit. S. Bonifacii et Alexii Presbyt. Card. di Pietro.

✠ Ego F. tit. S. Mariae in Ara-caeli Presbyt. Card. Satolli.

✠ Ego Fr. H. M.ª O. Carm. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

✠ Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

✠ Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

✠ Ego I. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali del Drago.

✠ Ego F. de Paula tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta.

✠ Ego Fr. A. Ord. S. Augustini tit. S. Callisti Presbyt. Card. Ciasca.

✠ Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu.

✠ Ego P. tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyt. Card. Respighi.

✠ Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Card. Macchi.

✠ Ego A. Soc. I. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Steinhuber.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna.

✠ Ego Fr. R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.

✠ Ego Fr. J. Calas. Ord. Min. Cap. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
BEATAE RITAE A CASSIA
MONIALI PROFESSAE
ORDINIS EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI
SANCTORVM CAELITVM HONORES
DECERNVNTVR

—

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Umbria gloriosa sanctorum parens, quae Benedictum, Franciscum et utramque Claram extulit, iis merito Ritam adiungit, quam *Pater misericordiarum et luminum*, ut de sancto Francisco sanctus doctor Bonaventura scribit in eius vitae prologo: « larga dulcedinis benedictione prae-« venit,... et perfectis effecit virtutum praerogativis et « meritis celebrem, nec non et praeclaris circa eum Crucis « ostensis mysteriis insigniter demonstrant illustrem ». Quamobrem Ritae veneratio et cultus brevi non modo Umbriae atque Italiae fines est praetergressus, sed Euro-

pam universam occupavit, vigetque etiam in novo Orbe florentissimus, magnis assiduisque prodigiis a Christo altus atque auctus. Nihil igitur Nobis gratius accidit, quam dilectissimam hanc Christi Sponsam solemni ritu in sanctorum album referre, fidelesque vehementer hortari, ut validissimum sanctae Ritae patrocinium Sacro hoc Anno ferventius implorent: quo certo fiet ut solemne, quod Christo Domino et Servatori hominum mox celebraturi sunt, si fidei sacramentum intercedat, tanto Principi acceptius futurum sit, uberrimaque ideo et virtutum et caelestium munerum fecunditate faustissimum.

Porrena, humile in Umbria prope Cassiam oppidulum, ex eo nobilitatem praedicationemque accepit quod natale fuerit sanctae Ritae solum. Ibi enim illa orta est anno MCCCLXXXI, parentesque habuit Antonium Mancini et Amatam Ferri, utrumque religione, virtute et praesertim caritate in proximum et prudentia adeo praestantes, ut conterranei illos uti exemplar ac praesidium suspicerent et venerarentur.

Quamobrem quoties de discordiis sedandis litibusque componendis agebatur, quod plerumque, uti erant tempora, accidebat, ii communi consensu veluti arbitri eligebantur, tamque fideliter ac feliciter eo officio fungebantur, ut *pacificatorum* cognomentum inde duxerint.

Ii cum Rita aucti sunt, propter aetatem de prole iam desperabant, etsi eam maxime optarent, Deumque multis precibus rogarent, ut diuturni voti compotes fierent. Hinc Amatae partus quoddam miraculum visum est et divinum

bonorum coniugum virtutibus praemium: imo et scriptum et traditum est illud divinitus parentibus fuisse praenunciatum, iussumque nasciturae Ritae nomen imponi. Quod a parentibus praestitum est; quamquam velut Margaritae contractio deinceps retineretur.

Ea, in lucem edita, talia praesetulit futurae maximae sanctitatis indicia, ut non solum genitorum solatio. sed hominum bono natam cuncti iudicarent. Etenim miris splendoribus caput infantulae identidem micare visum est. genitrixque mirari debuit quod illa ter tantum per diem, excepto die Veneris, ubera sugeret. Quo portento significari veluti visa est mirabilis Ritae abstinentia ac poenitentia, itemque ardentissimus quo consumpta est erga Christum crucifixum amor, eiusdemque vehemens illum imitandi atque in se referendi studium.

Suavitatem autem ingenii, sermonis, morum atque exemplorum Beatae, quibus perditissimos homines Christo crucifixo lucrifecit, ecquis non dixerit illis apibus veluti praemonstratam fuisse, quae circa infantulam volitare, alternisque vicibus, tum ingredi eius os, tum ex eo egredi visae sunt, quin ea detrimentum aliquod aut molestiam acciperet? Quo portento nihil est mirabilius, praesertim si ratio temporis habeatur quo illud durasse fertur, apiumque illarum naturae ab aliis eiusdem speciei animalibus dissimillimae.

At, de ipsius Beatae virtutibus iam dicendum est, ex quibus apparebit, eam praemonstrari maxime decuisse. per quam Deus tot exemplis, tot beneficiis homines locu-

pletare decreverat. Rita igitur vix aliquid mente concipere potuit, illud imprimis intellexit se Deo unice natam esse, ideoque puerilibus solatiis omnino contemptis, preces quas a parentibus avide didicerat vel piissime recitabat, vel animo meditabatur cum domesticis forte distineretur curis, vel aliquid a parentibus praeceptum exequeretur. Qua in re, etsi hilari semper promptissimaque obedientia eorumdem praecepta veluti praecurreret, tamen, si quod forte parentibus placeret, quod, quamquam honestum, eius animum a Deo vel minimum alienare posset, tam suaviter resistebat, ut illi obsecundare veluti cogerentur. Ita erga matrem se gessit, comptiori eam veste ornare volentem; si quid expetebat, id erat ut sibi facultas fieret in abditissima quadam domus cellula morandi ubi Iesu Christi passionem recoleret, quod a parentibus piissimis libenter concessum est. Quidquod? ea in cellula, venia ipsorum parentum, per annum solidum Rita mansit, inde solum discessura ut in horrida solitudine, si per eosdem licuisset, reliquum vitae cum solo Christo ageret.

Interim, ut divino exemplari similior esset, poenitentias austerissimas avide sectabatur. suisque manibus cilicia, ad carnem affligendam, contexebat. quibus ieiunia addidit, in ea aetatula vix credibilia, iisque se pauperum necessitatibus meliori qua posset ratione consulere dicebat, eosque libenter ad se advocatos ad religionem bonosque mores hortabatur, erectoque esse animo iubebat, Iesum Christum et immortalia eius praemia proponens. Peccatorum etiam saluti studuit impense. pro quibus diu

et ferventer orabat, Deo preces ac poenitentias suas humillime offerens, ut eorum misereretur.

Erga animas in Purgatorio detentas piissima, pari caritate, quidquid boni ageret, in earum expiationem destinabat, aliosque, ut idem agerent, etiam atque etiam rogabat. Nam plurimi eius exemplis virtutibusque commoti ad eam vel consilii vel auxilii causa confugiebant, praesertim adolescentulae pauperiores, vel ad electius vitae genus propensae.

Sed iam tempus erat ut de vitae genere ipsa deliberaret Rita. Deserta loca petere, ut pridem cogitaverat, parentum amor et reverentia vetabant, in saeculo virginitatem colere Deoque soli vivere nec facile videbatur nec tutum. Quamobrem secum ipsa post multas preces statuerat monasterium aliquod severioris disciplinae inire opportunumque opperiebatur tempus animum suum carissimis genitoribus aperiendi. At ii, anteoccupatis filiae consiliis atque sermonibus, de nuptiis honestis se cogitare reipsa tamque gravi supercilio ostenderunt, ut ipsa refragari ausa non sit: quamobrem in lacrimas effusa Deum etiam atque etiam rogabat, ut sibi in tanto certamine et lucem et vires afferret.

Nec defuit Deus, qui tantam feminam et uxorum exemplar et viduarum solatium destinaverat, brevique perturbatum Ritae animum ita sedavit, ut illa proposito a genitoribus viro nuberet.

Huic nomen erat Paulus Ferdinandus, rectae ut videbatur indolis et bene moratus; sed paucos post dies quam

uxorem duxerat alius omnino factus est: Ritam non modo negligebat, sed etiam verberibus ita male mulctabat, ut eius potius carnifex quam maritus videretur.

Illa autem, quin resisteret aut saltem indignaretur, ea se mala meruisse protestabatur, et Christum innocentissimum saeviora perpessum, ut sibi patientiam, marito autem resipiscentiam concederet, assiduis precibus flagitabat. Quae agendi ratio primum viri animum magis irritavit; deinceps, Deo favente et famulae suae preces exaudiente, ille ita mutatus est, ut non modo Ritae pepercerit, sed eius virtutes admiratus pro viribus imitari sategerit.

At non ita longum coniugium; nam Paulus, florente adhuc aetate, qua de causa non satis constat, interfectus est. Perculsa ea calamitate Rita est: eam tamen fortissime tulit, ipsosque sceleris auctores, ne a satellitibus comprehenderentur, domi excepit.

Acerrimum autem dolorem non lacrimis aut eiulatibus mitigavit, sed assiduis pro animae viri expiatione precibus, ieiuniis ac ciliciis, quibus tum laetius ac crebrius institit, cum divino, uti fertur, lumine illustrata, scivit Pauli animam in purgatorio igne aeternam gloriam expectare.

Verum potissima sanctae Viduae cura in eo erat ut geminos, quos a Paulo susceperat, filios ad pietatem educaret: cumque illi paternam necem ulcisci velle praeseferrent atque hoc dignissimum se facinus iudicarent, illa Christi praeceptum et sanctorum exemplum opponebat,

nihilque animae patris sui magis profuturum dicebat, generosa criminis oblivione cum assiduis precationibus coniuncta, ut omnium misereretur Ille qui pro omnibus interfici voluit, ut omnes salvos faceret, qui rogavit Patrem ut carnificibus suis parceret. Cum tamen illos iis parum commoveri atque in vindictae proposito perstare animadverteret, ad Crucifixum confugit, eique totum negotium commisit, vehementer rogans, ut filiorum vel voluntatem mutaret, vel vitae non parceret, tum cum adhuc eos consilii innocentia excusare videretur, erant enim ii vix puberes. Exaudivit Christus, et uterque infra annum decessit. Quare oblatam sibi a Christo occasionem arripuit ut propositum, iampridem conceptum se totam ei devovendi, exequeretur: cellulamque illam suaviter recordabatur quam domi suae elegerat cum puerula esset, ubi Christum crucifixum meditari, illiusque cruciatus in corpore suo experiri caelesti cum voluptate solebat. Quamobrem asceterium Cassianum a sancta Maria Magdalena nuncupatum petiit admissionemque rogavit. Antistita autem leges monasterii obstare causata est, quae viduas inde arcebant, et in proposito perstitit, quamquam Rita instantissime atque etiam cum lacrimis petitionem iteraret.

Ardentissimo Ritae desiderio, itemque asceterii illius meritissimi gloriae, miraculo consuluit Deus. Etenim quadam die summo mane sorores Ritam in asceterio ipso orantem invenerunt, sciscitantibusque illis quomodo id factum esset, Rita narravit se, cum multa iam nocte domi oraret, arcessitam fuisse, cumque exiisset in viam, sibi

adfuisse patronos suos maximos sanctos Ioannem Baptistam. Augustinum et Nicolaum Tolentinatem eamque, se ducibus, ad monasterium Cassianum pergere iussisse. Quo quum per invios saltus, undique dumetis obsitos, pervenissent, illos evanuisse, se autem in eo, quem videbant, loco orantem mansisse. Haec autem enarrans caelesti quadam voluptate perfundi visa est, maximasque pro tanto beneficio Christo agebat gratias.

Quare Rita statim inter moniales recepta tirocinium iniit, quo absoluto, solemnia nuncupavit vota, sororibus plaudentibus, quae re ipsa viderant qualis esset Rita, quantumque ex ea decus profectusque in monasterium redundaret. Cuius rei quasi vadem se dedit Dominus: nam Ritam vota nuncupantem caelesti implevit laetitia, eiusque animo a sensibus avocato, Iacobea illa scala apparuit caelum pertingens, cuius fastigio ipse insidens Dominus ad graduum ascensus suaviter invitabat, et ascendentem manebat in fastigio amplexurus.

Haec inter caelestia dona hominumque admirationem tanta fuit humilitate, ut vilia ministeria unice appeteret, se omnium ancillam praedicans: tunc autem maxime laetabatur cum obedientiae causa aliquid ei praescriberetur quod absurdum esset. Quamobrem integro anno, nutu Praesidis, lignum aridum in monasterii horto relictum irrigavit; quod tamen, exacto anno, arbor factum est viridissima atque fructifera.

Paupertatem ita coluit ut ne lectum quidem in cellula voluerit, unicaque vilissima veste usque ad mortem usa

sit. At mirabilior poenitentia. Hanc virtutem qua a primis annis praestitit virgo, cum Deo se totam devovit, ita exercuit ut res supra fidem videri possit. Quotannis rigidissimas quadragesimas constanter servavit, quibus semel in die modico pane vescebatur, vino prorsus abstinens. Humi, vel rudi super tabula brevissime dormiebat, nec quieti se dabat, nisi ciliciis cincta, vel contexta spinis tunica. Aspere se flagellis ad sanguinem usque caedebat, ter his tormentis uti solita: nam primam flagellationem animabus Purgatorii destinaverat, alteram monasterii sui benefactoribus, tertiam peccatorum conversioni. Uberrimis tantae poenitentiae fructibus invidit daemon, qui ideo Ritae persuadere nitebatur, eam Deo placere non posse, qui datum vitae munus servare iubet. Cum autem Rita haec non modo non audiret, sed inde magis in corpus suum saeviendi causam sumeret, ille iratus flagella e manibus eripuit. At victus, discedere coactus est: illumque Rita suis receptis flagellis est insequuta. Cur autem Rita in corpus suum tam dire saevierit, iam diximus; eam enim vel carnis illecebras, aliquando vehementiores, extinguere, vel proximorum bono consulere voluisse compertum est. Hanc tamen pro anima sua proximique caritatem alebat assidua rerum caelestium contemplatione et praesertim Passionis Domini nostri Iesu Christi. Quae, cum eam a prima aetate mirum in modum coluisset, tam altas in eius animo radices fixerat ut nihil aliud illa aut cogitaret aut sentiret, quod ad eam non referretur eamque veluti exprimeret. Qua in re ad illum contemplationis apicem per-

venit ut quindecim aliquando dies satis non fuerint ut mysteriorum Passionis Iesu Christi meditationem explere posset, et saepe contigit, ut super aliquo ex iis meditatione circa solis occasum suscepta, eam novo iam oriente sole interrumpi quereretur. Pluries autem sororibus eius cellam invisentibus accidit eam prae dolore ac lacrimis fere exanimem reperire, vel extra se raptam atque sublatam.

Rita autem a Christo iugiter petebat ut ipse aliquod Passionis suae specimen ac veluti libamentum praeberet. Qua de re illud narratur Ritam, olim audito viri sancti Iacobi Piceni de Passione Domini sermone, tanto ardore id petiisse a Christo crucifixo, ut illico de spineo eius serto spina refixa sit, quae veluti sagitta Ritae frontem transverberavit. Quo vulnere, cuius acerbissimos cruciatus usque ad obitum perpessa est, non modo Ritae patientia, sed etiam humilitas enituit. Illud enim brevi ita contabuit, ut Rita a sororum consortio segregari debuerit; quod illa suaviter ferebat, Deoque crucifixo maximas habebat gratias, quod iam illi soli liberius vivere posset.

At anno MCCCCL cum Sacer recurreret Annus, Sororesque Romam tantae celebritatis causa adire statuissent (nulla enim tunc clausurae lege tenebantur), Rita illas comitari vehementissime cupiebat, sed ob vulneris foeditatem Antistita vetuit. Quare a Christo amantissime petiit ut illud a se vulnus arceret, dolorque solus, qui cerebrum transfigebat, superesset. Christus plane exaudivit, et generosam famulae suae patiendi voluntatem

multis beneficiis atque etiam signis romano in itinere remuneratus est.

Vix Cassiam reversa est, ecce iterum vulnus; quare mirum in modum Ritae admiratio aucta est. Haec autem cupiebat dissolvi et esse cum Christo, si tamen Dilecto suo satis crucifixa videretur. Accesserunt itaque acerrimis vulneris doloribus alii ex quodam morbo, quem medici se nosse negaverunt, cuncta artis salutaris remedia respuente. Hinc putatum est illum divinitus immissum ad virtutis summae periculum, resque ex hilaritate Ritae confirmabatur, quae identidem, sororibus collacrimantibus, Crucifixo suo maximas et agebat et habebat gratias. Hoc praesertim eveniebat quum sacra se reficeret dape, qua unice fere per quadriennium vixit. Plerumque autem, sacra dape recepta, caelestibus visis recreata est. Mortem imminentem paucis ante obitum diebus nunciavit Christus cum Matre sanctissima; quo accepto nuncio, extremis Ecclesiae sacramentis muniri voluit, quibus pietate et laetitia singulari receptis, inter suavissima cum sororibus colloquia, migravit ad Dominum, anno aetatis suae sexto supra septuagesimum, die sabbato, decimo primo calendas iunias, anno MCCCCLVII.

Spiritum Ritae in caelum illico ereptum, sunt qui se divinitus vidisse asseruere, quibus alia portenta vulgatissima fidem adiiciunt. Etenim obitum eius festivus aeris campani sonitus toto in oppido, nemine pulsante, nunciavit, cellamque defunctae mirus illustravit splendor, suavissimusque ex ea odor per totum coenobium diffusus

est. Adde caelestem cadaveris speciem, frontisque vulnus iam tabidum visuque foedum in pyropi speciem mutatum. Quamobrem de Ritae sanctitate non modo cuncti certatim testati sunt, sed nemo extitit qui cultu Beatis debito illam non sit prosequutus, probantibus etiam Pontificibus. *Summus Pontifex Urbanus VIII* (ita Benedictus XIV, lib. IV, parte II, cap. V, n. 2), *qui utpote olim Episcopus Spoletinus notitiam habebat cultus publici quo dicta Beata fruebatur, nec non eiusdem meritorum, et miraculorum eius intercessione a Deo patratorum, concessit anno 1627 ut de ea in tota Spoletina dioecesi et religiosis utriusque sexus Ordinis sancti Augustini Officium recitaretur et Missa celebraretur de Communi nec virginis nec martyris, testibus Bollandianis ad diem 22 Maii.*

Idem Pontifex de Beata Rita disserens (lib. II, cap. XXIV, n. 178), addidit: *Idem Pontifex* (Urbanus VIII) *per alias litteras Apostolicas expeditas die 4 Februarii 1628, praevio consilio eiusdem Sacrae Congregationis, indulsit ut a presbyteris etiam saecularibus in Ecclesiis dictorum fratrum Missa praedictae Beatae celebrari posset. Eius vita describitur in lectionibus propriis ab eadem Sacra Congregatione approbatis, referente cl. me. Cardinali Bona, pro omnibus religiosis utriusque sexus eremitarum sancti Augustini, uti colligitur ex decreto edito die 19 Aprilis 1673. Et quia inconsulta Sede Apostolica... Beatorum cultus extendi non potest, sa. me. Benedictus Papa XIII. praevio memoratae Sacrae Congregationis consilio, benigne indulsit ut in civitate Fluminis Ianuarii seu sancti Sebastiani in Brasilia consecrari posset*

Ecclesia sub titulo Beatae Ritae, et in eadem civitate quotannis die 22 Maii, quo Beatae festum celebratur, recitari posset Officium et Missa de Communi, uti desumitur ex decreto edito die 17 Septembris 1724. Descriptum est nomen Beatae Ritae in Martyrologio Romano, auctoresque qui eiusdem meminerunt diligenter collecti fuerunt in quodam catalogo inserto in opus cui titulus: « Dissertatio historica auctore F. Dominico Antonio Gandolfo Ianuensi ». Quocirca mirum esse non debet, ut ait idem Pontifex (ibidem), *si in Congregatione habita die 3 Augusti 1737, referente Eño Dño Cardinali Corradino, non solum signata fuit Commissio resumptionis causae Beatae Ritae, sed etiam responsum fuit constare de casu excepto.*

Post haec anno MDCCXXXVIII ad effectum Canonizationis, tum Spoleti, tum Nursiae condi coeptus est Processus Apostolicus super Virtutibus et Miraculis in specie. Cum autem apostolica haec inquisitio centum annorum spatio morata esset, die XIX Septembris anno MDCCCLI novae litterae missae sunt Episcopo Nursino ad inquisitionem prosequendam explendamque. Quae tandem cum Romam delata esset anno MDCCCLV, insequente anno Sacrae Congregationis decreto probata est, quod sa. me. Pius IX solemniter confirmavit die XXIX Maii eodem anno. Nos autem decreto Sacrae Rituum Congregationis die VIII Iunii MDCCCXCVI edito, potestatem fecimus, ut Processus ordinarius, anno MDCXXVI confectus super Fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum ipsius Beatae et super cultu immemorabili eidem praestito in causae prosequu-

tione admitti ac recipi posset in linea aequalis probationis cum Processu Apostolico, perinde ac si in ipsum compulsatus fuisset.

Praeterea, cum insigne prodigium in Conversanensi dioecesi Beatae intercessione patratum diceretur, Litterae remissoriales, die XIII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXVII illuc missae sunt, ut Episcopus Apostolicam inquisitionem conficeret. Ea reapse in Urbem delata est die XVII mensis Iunii anno MDCCCXC eiusdemque validitas approbata est a Sacra Congregatione die XXVIII Iunii anno MDCCCXCII, scitumque Sacrae Congregationis a Nobis solemniter confirmatum est die XVIII Iulii eodem anno.

Post haec ad miracula veniendum erat. At, postulat ordo iudicii servandus in causa Canonizationis Servorum Dei, qui ob cultum immemorialem a Sancta Sede approbatum inter Beatos relati sunt, ut etiam eorum virtutes expendantur. Quamobrem, cum in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria propositum esset dubium « *An ita constet de virtutibus Beatae Ritae a Cassia ut procedi possit ad discussionem miraculorum?* » die VI Aprilis anno MDCCCXCVII responsum est « *Affirmative*, seu *constare* »; quae sententia solemniter confirmata est a Nobis die IX eodem mense et anno.

Ita ad miraculorum discussionem strata est via, deque iis actum imprimis in coetu antepraeparatorio habito die XXVII Iunii anno MDCCCXCIX, deinceps in coetu praeparatorio die IX Ianuarii hoc anno, denique in comitiis generalibus coram Nobis coactis die XXVII Martii hoc eodem

anno. In iis tum Consultoribus tum Patribus Cardinalibus apprime constare visum est de tribus miraculis. Primum in eo consistit odore, quem ad Beatae exuvias efflare tum multi locupletissimique processuum testes affirmant, tum historiis iugique traditione ita confirmatum est, ut de eo dubitare stultum esset. Cum autem huic odori nulla naturalis causa assignari possit, quod a viris earum rerum peritissimis demonstratum est, cum praeterea idem eo modo diffundatur qui solitas naturae leges praetergreditur, denique cum dicta fragrantia tum maxime percipiatur quum Deus Optimus Maximus ad Beatae Ritae invocationem prodigia patrare dignetur, eam divinitus provenire cuique persuasum esse debet.

Alterum miraculum puellae Elisabeth Bergamini accidit, quae post malas pustulas ita oculis laborare coepit, ut visum brevi amiserit. Parentes, cum a medicis tanto malo nulla arte succurri posse audivissent, puellam in asceterium Cassianum miserunt, a Beata fidentissime petentes, ut filiolam vel caecitate liberaret, vel secum caelestis luminis participem faceret. Puella quatuor post menses, cum iam votivam vestem induisset, se optime videre exclamavit, unaque cum monialibus Deo beataeque Ritae gratulabunda gratias egit, nulloque cum incommodo deinde eodem in asceterio elementarias litteras discere potuit.

Tertium miraculum accidit Cosmae Pellegrini, quem gastro-enterites cronica atque hemorroidalis affectio eo iam adduxerat, ut sanguine ideoque viribus omnino deficientibus, nulla esset salutis spes. Ecce autem (dies erat

XXII Maii Beatae Ritae sacer anno forte MDCCCLXXVII) Cosmam e templo redeuntem tanta vis morbi oppressit ut pene exanimatus corruerit. Acciti medici arti suae plane diffidentes, extremis Sacramentis Cosmam muniri iusserunt, quibus receptis, ille iam fere cadaver in lecto iacebat, quum tertio morbi die sibi videre visus est Beatam Ritam salvere iubentem. Illico redeunt vires cibique appetentia, brevique factum est ut Cosma, iam septuagenarius, ad laborem redire potuerit validissimique iuvenis, qualis revera fuerat, vigorem firmitatemque receperit. Quod in iudicio ipse testatus est et corporis habitus confirmabat.

His de miraculis actum est in supra dictis comitiis generalibus, Nosque, Patrum suffragiis libenter exceptis, *nobilissimam et electissimam* hanc caussam iudicavimus.

Attamen iudicium de more distulimus, supernum lumen invocaturi. Die autem VIII Aprilis, qua Dominica a Palmis nuncupata recurrebat, Eucharistica hostia litata, solemniter decrevimus « Constare de tribus miraculis, videlicet de primo : *odoris, qui ad exuvias Beatae Ritae efflatur, maxime quum ad eius invocationem prodigia patrantur et miro modo diffunditur ;* – de altero : *instantaneae perfectaeque sanationis puellae Elisabeth Bergamini a coniunctivae oculorum membranae inflammatione et a cheratite ulcerosa a variolis parta ;* – de tertio : *instantaneae perfectaeque sanationis Cosmae Pellegrini a gastro-enterite catarrhali chronica, ab hemorroidali affectione et chronica item gravique anemia* ». Cui decreto et illud addidimus nimirum: « *Stante*

approbatione trium miraculorum tuto procedi posse ad solemnem Ritae a Cassia Canonizationem ».

Deinceps ut in tanto negotio iuris ordo ab Antecessoribus Nostris constanter servatus retineretur, primum universos S. R. E. Cardinales in Consistorio habito die XIX Aprilis hoc anno, eorum sententiam rogaturi, Nobis adesse iussimus, qui sanctae Ritae gestis a dilecto filio Octavio Pio Conti, Consistorialis aulae advocato, auditis, Nos ad legitimam causae huius definitionem uno ore cohortati sunt. Curavimus interea ut litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, non modo viciniores Episcopi, sed remotissimi quoque de tanta solemnitate commonerentur, Nobisque, si facultas esset, adessent sententiam suam dicturi. Qui cum ex universo terrarum orbe non pauci convenissent, causa plene cognita tum ex iis, quae gesta fuerant in publico Consistorio, uti praefertur, habito, tum ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar singulis tradi voluimus, in Consistorio semipublico die XVII Maii hoc eodem anno coram Nobis coacto, in eamdem ac Patres Cardinales ivere sententiam. Cuius rei publica instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta in tabularium Sacrae Rituum Congregationis relata sunt.

Solemni vero huic Canonizationi celebrandae praefiximus diem XXIV Maii, qua hoc Anno Sacro currente recolitur memoria D. N. Iesu Christi in caelum ascendentis, et de humani generis hoste triumphantis. Quamobrem indicto ieiunio, fideles etiam atque etiam hortati sumus

ut preces ingeminarent iis praesertim in ecclesiis, ubi adoratio publica Sacramenti augustissimi indicta esset, ut et ipsi ex tanta solemnitate uberrimum fructum percipere possent, Nobisque in ea absolvenda Spiritus Paraclitus adesset.

Cum ergo a Nobis praesignata dies advenerit, omnes tum saecularis tum regularis Cleri ordines, singuli Romanae Curiae Praesules et Officiales, cuncti denique Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi in Vaticanam Basilicam, magnifice ornatam, convenerunt, quibus solemni supplicatione praeeuntibus, et Nos ingressi sumus. Tunc dilectus Filius Noster Caietanus Card. Aloisi-Masella Pro-Datarius, et Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus, Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Philippo Pacelli, Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis precesque detulit Sacrorum Antistitum, universae et inclitae Augustinensis Familiae, ut Beatam Ritam in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum et tertio memoratus Cardinalis Aloisi-Masella et Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus, precibus institissent, Nos superno lumine iterum ferventiusque implorato: « Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae Fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, matura deliberatione, et Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, Beatam Ritam a Cassia, Monialem

professam Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Sanctam esse et in Sanctorum catalogo adscribi decrevimus ». Cui eodem decreto sociavimus Beatum Ioannem Baptistam De la Salle, Presbyterum Fundatorem Scholarum Christianarum, virtutum heroicarum laude, et miraculorum gloria insignem. Mandavimus quoque ut Sanctae Ritae a Cassia memoria quotannis, ut in Martyrologio, recolatur, et Christifidelibus qui eo die eius exuvias venerati fuerint Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo concessimus. Denique de tanto beneficio gratias Deo Optimo Maximo egimus, Sacroque adfuimus solemni, Venerabili Fratre Nostro Aloisio Cardinali Oreglia Sacri Collegii Decano, Episcopo Hostiensi et Veliterno celebrante. Post Evangelium, Clerum Populumque Homilia allocuti sumus, ut omnes non modo Apostolorum Principes, sed etiam novensiles Sanctos, spei pleni et caritatis, sibi, Ecclesiae, societati universae propitios mererentur. Plenariam tandem Indulgentiam cunctis praesentibus peramanter impertiti sumus, atque Apostolicas hasce Litteras Decretales sub Plumbo expediri mandavimus.

Solemnes ab Ecclesia Sanctis decreti honores, fidelium animos tum summa laetitia implere debent, tum praecipue eos suaviter efficienterque impellere, ut Sanctorum imitatione virtutum et ipsi Sanctorum Regi Christo placere possint. Sancta Rita, virgo, materfamilias, vidua ac denique sancta monialis, adeo placuit Christo, ut eam signare dignatus sit signo caritatis et Passionis suae. Tantum privilegium Ritae meruerunt humilitas singularis,

incredibilis fere rerum terrenarum despicatio, mira plane in quocumque vitae statu graduque poenitentia. Duabus tamen geminisque virtutibus illa praestitit, nimirum: fraterna caritate et Christi crucifixi amore, in quibus tota christiana sapientia continetur. Quamobrem de illa canit Ecclesia: « Deus qui Beatae Ritae tantam gratiam con- « ferre dignatus es, ut quae Te in dilectione inimicorum « suorum est imitata, in corde et fronte caritatis et Pas- « sionis tuae signa portaret, da nobis, quaesumus: eius « intercessione et meritis inimicos nostros diligere, et « tuae Passionis dolores spina compunctionis iugiter con- « templari ». Haec vobis Sancta Rita inculcat, fideles, eamque apud Christum deprecatricem adhibete, ut harum exercitatione virtutum, quae unanimes sunt, christiani nominis, quo gloriamini, et sanctitatem et dignitatem tueri possitis.

Omnibus itaque, quae inspicienda erant bene perpensis, certa ex scientia et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae catholicae denunciamus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et Sigillo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere vel temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem

omnipotentis Dei, et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Sacro ab Incarnatione Dominica millesimo nongentesimo, IX Kalendas Iunias, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

✠ Ego LEO Catholicae Ecclesiae Episcopvs

✠ Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano, S. R. E. Camerarius, S. C. Decanus.

✠ Ego L. M. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Parocchi, S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego S. Episcopus Tusculan. Card. Vannutelli, Maior Poenitentiarius.

✠ Ego M. Episcopus Sabin. Card. Mocenni.

✠ Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi.

✠ Ego V. Episcopus Praenestin. Card. Vannutelli.

✠ Ego M. tit. S. Laurentii in Lucina Protopresbyt. Card. Ledochowski.

✠ Ego C. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego A. tit. S. Bonifacii et Alexii Presbyt. Card. di Pietro.

✠ Ego F. tit. S. Mariae in Ara-caeli Presbyt. Card. Satolli.

✠ Ego Fr. H. M.ª O. Carm. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

✠ Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

✠ Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

✠ Ego I. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali del Drago.

✠ Ego F. de Paula tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta.

✠ Ego Fr. A. Ord. S. Augustini tit. S. Callisti Presbyt. Card. Ciasca.

✠ Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu.

✠ Ego P. tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyt. Card. Respighi.

✠ Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Card. Macchi.

✠ Ego A. Soc. I. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Steinhuber.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna.

✠ Ego Fr. R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.

✠ Ego Fr. J. Calas. Ord. Min. Cap. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs

HOMILIA

HABITA INTER MISSARVM SOLEMNIA
IN BASILICA VATICANA
DIE XXIV MAII MDCCCC

—

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII

Verba quidem ad vos in huius celebritate diei et hoc loco facturis, est sane Nobis cur exultet animus ac triumphet oratio. Nam obversatur menti grande mysterium, cuius cogitatione multo altius, quam haec sint mundana hospitia, vehitur animus. Iesum Christum filium Dei, restituta hominum generi libertate, clarum victoria, caeli intrantem templa, amplexusque paternos infinita caritate petentem contemplamur. Divinae cum naturae, tum gloriae effecta humana natura particeps transvehitur Angelorum choros, et ad dextram Dei Patris una simul in perpetuum regnatura sistitur. Itaque, quod erat Dei consilio ex omni aeternitate constitutum, intimo nec dissociabili vinclo humanis divina iunguntur. — Illud vero praecipue animum implet spei ac solatii, quod qui primogenitus esse voluit in multis fratribus, non eam sibi soli quaesivit infinitatem gloriae. Per acerbitatem pluri-

mam et laborum et cruciatuum et mortis, homini reclusit aditum ad caelestia, et quo ipse anteivit, eodem nobis, ut subsequeremur, suorum ope meritorum dedit. *Vado parare vobis locum.*

Quid harum rerum imagine iucundius? Verumtamen cogitare ista parum refert, nisi inde opportuna ad recte faciendum incitamenta capiantur. Communem cum Christo redemptore gloriam nulla res parere, nisi obtemperatio praeceptis eius et legibus potest. *Si compatimur, et conregnabimus.* Hac via, hac arte niti et contendere ad sempiternam salutem oportere, praeclare Ioannes Baptista De la Salle et Rita a Cassia exemplo docent atque hortantur suo. Qui Christo obedienter subesse assueti, Christum exprimere moribus, quoad humana infirmitas pateretur, conati, tantam sunt praestantiam et excellentiam virtutis consequuti, quantam declarat utrique eorum hodie dicatus honos. Tam excelsi autem fastigii nusquam alibi initium nisi in animi demissione quaeratur. Haec nimirum impulit eos, ut alter in ludis pueritiae instituendae, altera vel domi vel intra coenobii septa delitescere, Iesu Christi caussa, in omni vita studerent. Hinc reliqua omnis eorum processit virtus, quam nec inopia, nec probra, nec calumniae fregere. Si persuasum vulgo foret, germanas solidasque virtutes a fuga superbiae et ab excelsa stultitia Crucis maxime efflorescere, utique minus multi aetatem agerent in oblivione bonorum animi, nec adumbratam honesti speciem aliunde peterent, nec humanae ascensum industriae cultusque civilis a religione

et pietate seiungerent. Faxit Deus ut christianae praecepta doctrinae altius in pectus mortalium descendant, et hanc, quae in exitu est, aetatem aetas insequatur sanior, pacatior, Christi christianorumque institutorum cupidior. Ratum faciant omen sancti caelites novensiles. In primis et maxime Ioannis Baptistae lumen in officio retineat proniorem in vitia iuventutem; eoque ipso magistro discant sacri ordinis viri sese communi hominum saluti totos et penitus dedere. Umbriae autem Rita decus, tueatur genus feminarum: et quae in conditione vitae varia eodem constantiae tenore servivit sanctitati, impellat ipsa quanto plures potest ad imitationem sui.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, venerabiles fratres, dilecti filii. Amen.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOANNI GUIBERT PRESBYTERO SVLPICIANO
PRAESIDI SEMINARII AD INSTITVTVM CATHOLICVM
PARISIOS

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Per hosce dies, quibus caelitum sanctorum honores Ioanni Baptistae De la Salle solemni ritu decrevimus, opportunum gratumque donum redditum est abs te, historia eius nove confecta. — Virum de recta et christiana popularium institutione perquam optime meritum, cuius instituta et benefacta perennant lateque propagantur, sane decebat exculto scribendi genere atque monumentorum copiâ exquisite perpensa illustrari. Quod quidem Nos tibi gratulantes, valde optamus ut qui librum tuum perlegerint, non eum tantummodo ferant fructum ut Deum collaudent, plane admirabilem in Sanctis suis, sed etiam documentum inde capiant atque incitamentum. Ediscant quemadmodum aetati tenerae et improvidae, in qua domesticae et civilis

societatis alitur spes, culturam ingenii maximeque animi oporteat adhiberi: et quoniam temporum corruptelis patet illa tam misere, probe intelligant curis omnibus enitendum esse ut evadat incolumis, ac summo bonorum, cui nata est, non indigna succrescat. — Egregii laboris sanctus ipse De la Salle tibi reservet praemium; atque ipse veterem illam necessitudinem cum Societate Sulpiciana, quam epistola tua pie commemoravit, caelestibus muneribus uberiorem in dies efficiat. Interea habe testem gratiae et benevolentiae Nostrae Apostolicam benedictionem, quam eidem pariter Societati peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
STANISLAO TARNOWSKI COM.
LYCEI MAGNI JAGELLONICI
RECTORI
CRACOVIAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Lyceum magnum Cracoviense, abhinc quingentis annis in decus Polonae gentis conditum, ea semper laude praestitit, quod ab Apostolicae Sedis auctoritate discesserit nunquam; quo factum iure, ut a Romanis Pontificibus et benevole haberi semper et cumulari muneribus mereretur. Hanc autem in vobis nunc etiam vigere laudem, testes sunt litterae, quas a te et a Quatuorviris singularum disciplinarum studiis moderandis nuper accepimus. Nam quum in eo iam sitis, ut quintum ab instaurata Universitate saeculum, feliciter impletum, laetitiis publicis gratulemini; placuit huius vestrae celebritatis Nos admonere, ut, bene vobis precantes, commune simul gaudium

atque animos augeremus ad ampliora in posterum perficienda, in iuventutis vestrae ad omnem sapientiam eruditionem. Habetote igitur et gratias de officio praestito et de merita iucunditate gratulationem. Tibi vero et universo doctorum coetui nec non auditoribus singulis, qui in spem religionis ac patriae educuntur, Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis pignus ac munerum divinorum auspicem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Maii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANDREAE TIT. SANCTAE ANASTASIAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
MEDIOLANVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quas tu ceterique Provinciae Antistites ad Nos communiter dedistis litteras post Rhaudiensem conventum, magna animi voluptate perlegimus. Fuerunt nimirum illae praeclarum argumentum tum observantiae, qua desideriis Nostris obsecundatis, tum studii, quo utilitates vestrarum ecclesiarum provehitis assidue. Quod quidem studium eo cumprimis adhiberi exoptamus ut maximi obedientiae officium a fidelibus fiat erga Sedem hanc Apostolicam. Doluimus enim fuisse quosdam ac porro esse, qui catholicis suadere sint ausi ut decretum posthabeant, quo Nos iamdiu ediximus non expedire interesse comitiis ad oratores populi eligendos. Hi sane Nostra et Sedis Aposto-

licae conditio quae modo sit vel omnino ignorant vel, contra officium, praetereundum existimant. Instent igitur ac perficiant Episcopi ut mandatis hisce Nostris pareatur sancte; quae enim suaserunt rationes et maximi momenti sunt et integrae adhuc vigent, neque adiunctis ullis extenuantur. — Nil plane dubitandum quin Deus industrias vestras sit amplissime fortunaturus. Ut tamen caelestia munera vobis gregibusque vestris uberius conciliemus, Nos gratias de officio vestro agentes, tibi ceterisque Episcopis ac fidelibus cuique creditis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Iunii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE TRANSLATIONE TITVLI DIOECESIS GRAFTONENSIS IN AVSTRALIA

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut sollicito studio praestemus admonet Nos supremi Apostolatus munus, quo licet immeriti in terris fungimur. Iamvero cum Venerabilis Frater Ieremias Doyle Episcopus Graftonensis in Australia instanter a Nobis petierit, ut titulus suae Sedis ex Grafton ad Lismore in sua dioecesi transferatur, utpote quod in bonum religionis et Ecclesiae eiusdem dioecesis vel maxime cedat, Nos precibus hisce annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio ac certa

scientia et matura deliberatione Nostris, omnibusque rei momentis accurate perpensis, atque ad examen rite invocatis, titulum dictae Sedis Episcopalis ex Grafton ad Lismore ita tenore praesentium transferimus, ut ipsa in posterum minime Graftonensis verum Lismorensis dioecesis appelletur, et ipse Venerabilis Frater Ieremias Doyle Episcopus Lismorensis esto. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIII Iunii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

A. CARD. MACCHI

LITTERAE

AD ARCHIEPISCOPOS ITALIAE

—

Illmo e Rmo Signore

È noto come l'emigrazione temporanea degli operai italiani per tutta Europa e principalmente nella Svizzera, Francia, Austria e Germania, sia in questi ultimi anni di molto cresciuta.

Sono purtroppo egualmente noti i pericoli d'ogni sorta, a cui si trovano esposti gli emigranti, che, lungi dalla famiglia e dalle native parrocchie; dispersi in paese straniero; commisti ad altri operai, indifferenti, scettici, miscredenti e corrotti, senza un luogo sacro che li raduni, senza sacramenti e sacerdoti, e senza una parola amica; nuovi ai pericoli e sedotti da un'astuta ed attivissima propaganda protestante e socialista, dimenticano ben presto quella poca istruzione religiosa, che possono aver ricevuta, abbandonano le pie pratiche, e finiscono in un desolante indifferentismo ed eziandio colla perdita totale della fede e della moralità. Indi, tornati in patria, non di rado fanno pompa

di irreligione e di miscredenza, e, quel che è peggio, diventano alla loro volta propagatori di massime empie e sovversive.

Questa tristissima condizione di cose non isfuggì alla sollecita vigilanza del Santo Padre; il quale, a più riprese, richiamò su di essa l'attenzione di alcuni fra i Vescovi dell'Alta Italia, dove l'emigrazione temporanea suole essere più numerosa; e dopo aver loro additato i gravi rischi che corrono gli emigranti italiani, specialmente nella Svizzera, li esortava ad occuparsene seriamente, indicando all'uopo anche i mezzi opportuni; quali, per esempio, l'invio di Missionarî, la raccolta di sussidî mediante apposite collette, e la organizzazione di un'opera destinata a soccorrere i Missionarî. Notevolissima è la circolare diretta il 18 Maggio dello scorso anno 1899 agli Arcivescovi di Milano, Torino e Vercelli, colla quale si raccomandava inoltre di far sì che gli emigranti ricevessero in patria una più soda istruzione e formazione religiosa che valesse a sostenerli e premunirli in mezzo alle seduzioni a cui sono esposte la loro fede e la pratica della religione nei paesi stranieri.

Più volte, anzi, l'Augusto Pontefice si degnò d'occuparsene personalmente, sia coi Vescovi Svizzeri, alle cui diocesi si dirigono gli operai italiani, sia anche coi semplici Missionarî, che non mancò di encomiare, incoraggiare e sovvenire altresì con aiuti materiali.

Siffatte amorevoli premure di Sua Santità non rimasero certamente senza effetto. Parecchi Vescovi infatti,

ossequenti al desiderio del Santo Padre, si affrettarono di mandare all'estero, e particolarmente nella Svizzera, alcuni zelanti Sacerdoti, coll'incarico di assistere spiritualmente, moralmente ed anche materialmente, i numerosi emigranti italiani. Alcuni ecclesiastici italiani e forestieri, di loro spontanea volontà e per privata iniziativa, con lodevole zelo si consacrarono, chi stabilmente e chi periodicamente per qualche mese dell'anno, durante cioè il tempo dei lavori e della presenza degl'Italiani all'estero, alla stessa santa impresa, portandosi nei centri dell'emigrazione per amministrare agli operai colà radunati la parola di Dio ed i santi Sacramenti. A qualcuno riuscì pure di fondare, fra gli stessi operai italiani, società ed istituzioni cattoliche, allo scopo di aprire cappelle e scuole, di provvedere al loro miglioramento economico e d'impedire i matrimonî misti. Non mancò eziandio di stabilirsi nell'Alta Italia qualche Comitato di anime generose e benefiche, diretto a procurare i mezzi necessarî per sostenere l'Opera dell'assistenza degli emigranti e darle una forma stabile ed un maggiore sviluppo. Si costituirono inoltre recentemente Consorzî di parrochi, nell'intento di portare aiuto ai proprî parrocchiani emigranti in Isvizzera; sia col procurare che prima della loro partenza ricevano i santi Sacramenti, sia col distribuir loro oggetti religiosi, giornali, libri di pietà, opuscoli di sana ed amena lettura; sia col provvedere che fuori d'Italia non restino isolati, ma stiano uniti in gruppi presieduti da un capo, il quale debba far noto al proprio parroco il luogo dove abbiano

trovato lavoro, il nome e domicilio del sacerdote cattolico più vicino, affinchè la presidenza del Consorzio stesso possa mettersi in relazione con lui, sia coll'obbligarsi a visitare in alcuni mesi dell'anno gli emigranti ed a tener loro opportune istruzioni catechistiche e confortarli coi Sacramenti; sia infine col fare, nelle loro rispettive parrocchie, apposite collette a favore della santa loro Opera.

Crescendo però ogni giorno più i gravi pericoli in cui si trovano i poveri emigranti italiani, Sua Santità a cui nulla sta più a cuore che la salute delle anime ed il benessere morale e materiale di tanti suoi figli, per molti titoli a lui particolarmente cari, desidera vivamente che, in proporzione dei detti pericoli, si moltiplichino altresì, da parte dei buoni, i mezzi di preservazione, di assistenza e di protezione.

Quindi è che il Sommo Pontefice, mentre altamente si compiace di quanto fu sin qui lodevolmente operato in pro degli emigranti stessi, compreso tuttavia dell'urgente necessità di nuovi e pronti provvedimenti, atti a rendere anche più efficace il concorso di tante buone volontà, che si sono finora manifestate in favore di uno scopo sì santo, e ad ottenere altre cooperazioni, mi ha ordinato di scrivere a tutti i Rmi Metropolitani d'Italia, perchè dove si verifichi siffatta emigrazione, d'accordo coi Vescovi comprovinciali, propongano quelle misure che crederanno più opportune e vantaggiose. È altresì volere di Sua Santità, che i Rmi Metropolitani abbiano a riferire alla Santa Sede quei provvedimenti, che nelle loro provincie si fos-

sero già adottati a pro di sì bella Opera di zelo e di carità.

Nel communicare a V. S. Illma e Rma, per ciò che La riguarda, i suesposti desiderî di Sua Santità, mi è grato confermarmi con sensi di ben distinta stima

Della S. V. Illma e Rma

Roma, 19 giugno 1900.

Servitore
M. Cardinale RAMPOLLA

DECRETVM

QVO
EPISCOPALES SEDES POPAYANENSIS ET CARTHAGINENSIS
IN COLVMBIANA REPVBLICA
ARCHIEPISCOPALI TITVLO ET DIGNITATE
AVGENTVR

—

In votis fuit semper Apostolicae Sedis ut in Columbiana Republica numerus Sedium Episcopalium augeretur, uti bono spirituali eorum fidelium meliori modo quo fieri posset consultum esset; cum ingens territorii amplitudo, progredientia civium incrementa, et incommodi inter civitates aditus, plures stationes, et vigilias custodum christianae vitae et disciplinae necessario requirant. Hanc ob causam numquam omisit Apostolica Sedes opportunis uti occasionibus, quae sese obtulerunt, ad novas dioeceses in Columbiana regione erigendas, uti recenter hisce temporibus effectum est, duabus novis Episcopalibus Sedibus de Manizales et Ibaguensi constitutis. Iamvero hac accessione Episcopalium Sedium tresdecim modo in Columbia dioeceses numerantur, quae iuri metropolitico Archiepiscopi Bogotensis subiiciuntur. Ast aucto Suffraganearum

Sedium numero necessitas quoque oborta est, ut Metropoliticae Sedes augeantur, ut facilior Episcopis ad suum Archiepiscopum pateat accessus, atque inde causae ecclesiasticae, praesertim vero matrimoniales, expedite discuti ac resolvi possint, in quibus dilatio quaeque et cunctatio spiritualibus damnis saepe occasionem praebere potest.

In hoc autem rerum statu, exquisita, ut par erat, per Officium Sacrae Congregationis negotiis Ecclesiae extraordinariis pertractandis praepositae, Archiepiscopi Bogotensis sententia, qui pro sua parte aperte declaravit, sese perspecta Ecclesiae utilitate, et spirituali fidelium bono, propositae provinciae suae divisioni, et novarum Archiepiscopalium Sedium erectioni assensum praebere, de hisce omnibus plena et accurata relatio ad Sanctissimum Dominum Leonem XIII Pontificem Maximum habita est, eique supplicatum, ut in hoc negotio quidquid in Domino expediens esse censeret, sua suprema auctoritate decerneret. Sanctitas Sua, rebus omnibus mature perpensis, attenta spirituali utilitate fidelium Columbianae regionis, rei propositae libenter annuit, et suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine ea quae sequuntur statuit atque decrevit.

I.

Primum itaque Sanctitas Sua secum reputans Episcopales Sedes Popayanensem et Carthaginensem Indicam,

ceteris in Columbia antiquitate praestare, ac perpendens religiosa ac civilia decora et ornamenta queis fulgent, utramque praedictam Episcopalem Ecclesiam Popayanensem et Carthaginensem Indicam, a iure Metropolitico Ecclesiae Archiepiscopalis Bogotensis apostolica auctoritate exsolvit ac eximit, et utramque sub eodem titulo quem praeseferunt, ad dignitatem Archiepiscopalem et Metropolitanam extollit ac erigit, et Antistites Popayanensem et Carthaginensem in Columbiana regione Archiepiscopos et Metropolitas constituit cum Pallii et Crucis Archiepiscopalis usu, aliisque omnibus praerogativis et privilegiis, quibus Archiepiscopi et Metropolitae legitime fruuntur et gaudent.

II.

Duabus autem praedictis Archiepiscopalibus Ecclesiis constitutis, Sanctitas Sua firmum ratumque decernens ius Metropoliticum Archiepiscopalis Ecclesiae Bogotensis quoad Episcopales Ecclesias Tunquensem, de Succursu, Pampilonensem, Medellensem, Antioquensem, eidem Bogotensi Episcopalem Ecclesiam Ibaguensem, noviter erectam, uti Suffraganeam adiungit et subiciit.

III.

Deinde Sanctitas Sua ab iure Metropolitico Ecclesiae Bogotensis Episcopales Ecclesias de Pasto, de Panamá,

et Sanctae Marthae exsolvit et eximit; et Archiepiscopali Ecclesiae Popayanensi ut supra constitutae, episcopales Ecclesias de Pasto, de Garzón ex suppressione Dioecesis Tolimensis noviter erectam, nec non aliam novae erectionis de Manizales, in Suffraganeas addicit et assignat. Archiepiscopali vero Ecclesiae Carthaginensi Episcopales Ecclesias de Panamá et Sanctae Marthae in Suffraganeas assignat ac subiicit.

IV.

Decrevit Sanctitas Sua Ecclesias Popayanensem et Carthaginensem in Indiis ad dignitatem Metropolitanam erectas taxari utramque seorsim in aureis florenis de Camera sexaginta sex cum tertia floreni parte, et in libris Camerae Apostolicae has taxas de more describi.

V.

Denique Sanctitas Sua ad praemissorum effectum, derogato quatenus opus sit in contrarium facientibus quibuscumque, in Executorem huiusce Consistorialis Decreti, perinde valituri, ac si Apostolicae litterae sub plumbo expeditae fuissent, deputavit R. P. D. Antonium Vico, Archiepiscopum titularem Philippensem, Delegatum Apostolicum et Legatum Extraordinarium apud Rempublicam Columbianam, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi aliam personam in eccle-

siastica dignitate constitutam, nec non cum facultate eidem R. P. D. Archiepiscopo Philippensi, sive eius subdelegando etiam definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta obligatione ad sacram Congregationem Consistorialem peractae executionis acta authentica transmittendi intra sex menses; ac praesens Decretum inter Acta sacrae Congregationis Consistorialis Sanctitas Sua referri mandavit.

Datum Romae, die xx Iunii, anno Domini MCM.

† Carolvs Patriarcha Antiochenvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

DECRETVM

DE ERRECTIONE NOVARVM DIOECESIVM
« IBAGUENSIS » ET « DE GARZÓN »
IN COLVMBIANA REPVBLICA

—

Quum legitimae causae occurrunt, in dioecesibus late patentibus, ut ad faciliorem et utiliorem rei sacrae procurationem earum divisio et dismembratio fiat, in hunc finem Apostolica Sedes suam auctoritatem et operam conferre nunquam dubitavit. Id probe agnoscens R. P. D. Episcopus Tolimensis in Republica Columbiana ad Apostolicam Sedem iampridem expresse retulit, late admodum patere dioecesim suam, ac in ea facile et expeditum commercium haberi non posse inter pastorem et fideles, ac loca et regiones, quibus ipsa constat, non solum terrae spatio, sed etiam caeli locique natura aliisque adiunctis inter se esse discretas, atque ob eas causas admodum utile et opportunum fore, si dismembratione et separatione effecta septemtrionalis partis dioecesis eiusdem, ex hoc territorio diviso ac separato nova Sedes episcopalis ad commodiorem rei sacrae procurationem et ad salutarem fidelium utilitatem conderetur; itemque altera episco-

palis Sedes ex duabus reliquis provinciis civilibus *de Neiva* et *del Sur*, quae alteram partem dioecesis Tolimensis efficiunt, praevia dismembratione earumdem duarum provinciarum civilium e territorio dioecesis Tolimensis. ad praedictum finem erigeretur. Quapropter praedictus idem Episcopus Ssmo Domino Nostro Leoni PP. XIII humiles preces admovit, ut Tolimensi dioecesi dismembrata, et in binas partes, ut supra, divulsa ac divisa, eiusque suppresso nomine, ex universo territorio et regione. ex qua ipsa actu constat, binas ut supra dioeceses Apostolica auctoritate constituere dignaretur. Sanctitas Sua, omnibus, quae ad ipsam allata fuere, mature perpensis, ac propositae rei utilitate perspecta, conlatis cum Reipublicae Columbianae Gubernio consiliis, iuxta conventionem anno MDCCCLXXXVII cum eo initam, Episcopi Tolimensis precibus annuendum censuit, et ea quae sequuntur, de plenitudine Apostolicae potestatis, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque interesse habentium consensu, statuit ac decrevit.

I.

Primum itaque Sanctitas Sua, suppresso et extincto titulo, denominatione, ac praesenti statu Ecclesiae episcopalis Tolimensis cum respectivo eius Capitulo, iuribus et privilegiis, e territorio dictae Ecclesiae ac dioecesis, Apostolica auctoritate, seiungit ac dismembrat duas provincias civiles, Nordicam scilicet et Centralem vulgo *del Norte* et *del Centro* appellatas, quae ad ipsam actu pertinent,

et civitatem Ibagué in praedictis provinciis existentem in civitatem episcopalem constituit erigitque, cum Curia et Cancellaria ecclesiastica, ceterisque iuribus, honoribus et privilegiis prout ceteris episcopalibus civitatibus datum est.

II.

Deinde praedictae civitatis Ibagué parochialem Ecclesiam honori sancti Bonifacii martyris dicatam, in cathedralem Ecclesiam novae dioecesis sub titulo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, parochialem, ut antea, extituram, et in eadem Ecclesia Ibaguensi nominanda, Sedem et dignitatem pontificalem pro Episcopo Ibaguensi nuncupando, qui eidem Ecclesiae, civitati et dioecesi, ut infra, assignandae, illius Clero et populo praesit, Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, arca, sigillo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, indultis et praerogativis, quibus ceterae cathedrales Ecclesiae in Columbiana regione legitima ex causa gaudent, perpetuo erexit et constituit.

III.

Hac porro constituta cathedrali Ecclesia, Sanctitas Sua pro eius dioecesi eidem attribuit territorium idem, quod actu duas provincias civiles Tolimensis territorii complectitur, vulgo *del Norte* et *del Centro* nuncupatas,

iuxta eam circumscriptionem eosque limites, qui praedictis provinciis a lege civili sunt assignati; ac extincta in eo territorio, quae antea existebat, iurisdictione et superioritate, incolas utriusque sexus tam laicos quam clericos et presbyteros, nec non ecclesias, monasteria ac beneficia memoratae superius Ecclesiae cathedrali eiusque Antistiti eligendo pro suis civitate, territorio, dioecesi, Clero ac populo perpetuo assignat, et in spiritualibus adiicit ac subiicit.

IV.

Cum vero in qualibet cathedrali Ecclesia Capitulum exstare debeat, quod Episcopi Senatus nuncupatur et est, decernit Sanctitas Sua ut in cathedrali Ecclesia, ut supra, erecta Capitulum rite constituatur, eique munus demandat peculiaria statuta iuxta sacros Canones et praesertim Tridentini Concilii praescriptiones conficiendi, quae proprio Episcopo sancienda et probanda proponentur, eidemque Capitulo rite constituto insignia, honores et privilegia confert, quibus cathedralia Capitula in Columbiana regione rite gaudent, iis exceptis, quae ad aliquod Capitulum eiusdem regionis vel ex titulo oneroso, vel ex singulari favore peculiariter attributo pertinere constiterit.

V.

Dismembratione autem, ut supra, effecta, ac respectiva erectione dioecesis Ibaguensis constituta, cum alia

pars dioecesis Tolimensis superstes sit, quae ex duabus provinciis civilibus *de Neiva* et *del Sur* appellatis componitur, Sanctitas Sua, suppressis in ea parte statu, regimine et titulo dioecesis Tolimensis, suppressa item et extincta Cathedralitate, quae existebat in Ecclesia parochiali Immaculatae Conceptioni Deiparae Virgini sacra, quae est in civitate Neiva; suppressis pariter iuribus et privilegiis, quae ad ipsam ex cathedralitatis causa spectabant, Cathedrae honorem in civitatem Garzón transferendum decrevit, ac parochialem Ecclesiam in civitate Garzón positam, in sedem et cathedralem Ecclesiam novae dioecesis de Garzón appellandae, sub titulo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis constituit et erigit, cum iuribus, privilegiis, praerogativis, aliisque ad cathedrales regionis Columbianae ecclesias pertinentibus, in qua Episcopus olim Tolimensis, nunc ad regendam episcopalem Ecclesiam de Garzón Apostolica auctoritate translatus, eiusque in Episcopatu successores sedem et Cathedram episcopalem habebunt cum omnibus honoribus, iurisdictionibus, iuribus, privilegiis et praerogativis, tamquam illius civitatis et dioecesis Episcopis sibi legitime competentibus.

VI.

Cathedrale insuper Capitulum, quod in cathedrali olim Ecclesia civitatis Neiva extabat Sanctissimus Dominus in noviter erecta cathedrali Ecclesia erigendum edixit,

ad eam formam et cum iis privilegiis, prout in veteri Ecclesia cathedrali antea erat constitutum.

VII.

Consultum autem vult Sanctitas Sua ut in Ecclesia, quae olim dioecesis Tolimensis cathedralis erat in civitate Neiva, recta divini cultus procuratio perseveret. Quoad vero onera Missarum et legata pia, si quae sunt, quae Capitulum speciatim respiciebant in eiusdem obligationem et commodum constituta, benigne Sanctitas Sua ad novam Ecclesiam cathedralem civitatis Garzón transtulit, ut iis ibidem diligenter satisfiat.

VIII.

Novae autem Sedi episcopali de Garzón, ut praefertur erectae, pro dioecesi attribuit Sanctitas Sua totum atque integrum territorium, quod e duabus provinciis civilibus Tolimensibus vulgo *de Neiva* et *del Sur* appellatis constituitur, iuxta eosdem ambitus et limites, qui civili earum provinciarum circumscriptioni respondent, ac extinta episcopali iurisdictione et superioritate, quae antea in dicto territorio existebat, incolas eiusdem utriusque sexus, tam laicos quam clericos et presbyteros nec non Ecclesias et monasteria ac beneficia memoratae Sedi episcopali, eiusque Praesuli, pro suis civitate, territorio, dioecesi, Clero et populo perpetuo assignavit et in spiritualibus subiecit.

IX.

Quoad insuper utramque dioecesim Ibaguensem et de Garzón, ut supra, erectam, mandat Sanctitas Sua ut in unaquaque Seminarium ex Tridentini Concilii ordinatione erigatur, ut ibidem adolescentes Clerici ad Ecclesiae disciplinam informentur, utilibus per Episcopos legibus impositis, quibus pietas et morum probitas ac sana doctrina ex fontibus praesertim Angelici Doctoris hausta foveatur, et inde possit utraque Ecclesia copiosa ac salutaria emolumenta percipere.

X.

Quod autem pertinet ad praedictarum cathedralium Ecclesiarum dotationem et proventus, quibus indigent, ut Capitulis, Seminariis, divino cultui aliisque dioecesanis operibus consulatur, statuit Sanctitas Sua ut, salvis proventibus, qui in Episcopum Tolimensem et episcopalem eius mensam ab erectione dioecesis eiusdem, conlatis consiliis cum Ordinariis finitimis, pro sua parte in ipsum et eius mensam cesserunt, proventus iidem pro rata parte in duas novas dioeceses erectas, prout utrique ius est, dividi debeant, et salvis omnibus, quae iuxta conventionem cum Columbiano Gubernio initam, constituta sunt, Sanctitas Sua fideles impense hortatur, ut nunquam omittant honorare de sua substantia Dominum, apud quem

magnam sibi gratiam et copiosam remunerationem pro pia sua liberalitate consequentur.

XI.

Praecepit insuper Sanctitas Sua ut omnia et singula documenta respicientia paroecias et loca novarum dioecesium ex suppressione dioecesis Tolimensis erectarum, e Cancellaria Tolimensi extrahantur, et respectivarum dioecesium, ad quas pertinent, Cancellariis accurate tradantur.

XII.

Praeterea Sanctitas Sua episcopalem Ecclesiam Ibaguensem noviter erectam metropolitico iuri Archiepiscopi Bogotensis in Columbia subiecit. Quoad Ecclesiam autem episcopalem de Garzón nova erectione constitutam, Sanctitas Sua Sibi reservat, ut ei metropoliticam Sedem, cui subesse debeat, quamprimum assignet.

XIII.

Peculiariter autem Sanctitas Sua Sibi et Apostolicae Sedi reservat novam harum dioecesium circumscriptionem, etiam quoad metropoliticae Ecclesiae designationem sancire, quandocumque id Religionis bono expedire conspexerit, quin ullum vel ab Antistitibus vel a Capitulis consensum exquiri opus sit.

XIV.

Ea autem omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quorum expressa mentio in hoc consistoriali Decreto facta non est, statuit Sanctitas Sua firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam manere debere: si qua tamen difficultas aut controversia quoad praemissa inciderit, ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit; quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XV.

Decrevit Sanctitas Sua praefatas Ecclesias Ibaguensem et de Garzón in cathedrales, ut supra, erectas, iuxta earum reditus de more taxari, ac huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae in florenis triginta tribus cum tertia floreni parte pro unaquaque earum seorsim describi.

XVI.

In executorem demum huius consistorialis Decreti, tum dismembrationis dioecesis Tolimensis, tum erectionis dioecesis Ibaguensis et dioecesis de Garzón, Sanctissimus Dominus Noster, ad praemissorum effectum expresse derogato, quatenus opus sit, in contrarium facientibus quibuscumque, deputavit R. P. D. Antonium Vico Archiepisco-

pum Philippensem et Delegatum Apostolicum ac Legatum Extraordinarium in Columbiana Republica cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum, de quo agitur; nec non cum facultate eidem R. P. D. sive eius subdelegando etiam definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, addita obligatione ad Apostolicam Sedem mittendi intra sex menses exempla authentica actorum omnium, quae ad executionem explendam emittenda erunt. De his omnibus, et quoad omnia praemissa, iussit Sanctitas Sua hoc consistoriale Decretum edi, perinde valiturum ac si litterae Apostolicae sub plumbo expeditae fuissent, et referri inter acta Sacrae Congregationis consistorialis.

Datum Romae, die XX Iunii, anno Domini MCM.

† Carolvs Patriarcha Antiochenvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

DECRETVM

DE ERECTIONE NOVAE DIOECESIS « DE ALAGOAS » IN BRASILIANA REPVBLICA

—

Postremis hisce temporibus apud Apostolicam Sedem tum Praeses et Gubernium, tum primores e Clero et populo status civilis vulgo *de Alagoas* in Brasiliana Republica pluries enixis precibus institerunt, ut idem status seu regio de Alagoas, quae actu ad territorium et spiritualem iurisdictionem Olindensis dioecesis pertinet, ab ea divelleretur, et in propriam et separatam dioecesim erigeretur. In hanc rem repraesentatum fuit Ssmo Domino Nostro Leoni PP. XIII salutarem et copiosum fructum ex hac erectione erga fideles praedictae regionis esse oriturum, accedentibus etiam R. P. D. Iosephi Macchi Archiepiscopi titularis Thessalonicensis Internuntii Apostolici officiis, qui huiusmodi Apostolicae providentiae opus non modo utile sed et necessarium in praedicta regione declaravit. Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, ac rei sacrae procurationi et spirituali animarum saluti, meliori, quo fieri potest modo in praedicto civili statu consulere cupiens, oblatis precibus benigne annuendum censuit, et

propriam ac separatam dioecesim in territorio status civilis de Alagoas in Brasiliana Republica de Apostolicae potestatis plenitudine erigendam decrevit in eum qui sequitur modum.

I.

In primis itaque Sanctitas Sua statum civilem vulgo *de Alagoas* appellatum, qui, quoad spiritualem procurationem, actu Olindensi dioecesi subest, atque finibus infra describendis continetur, ab eadem Olindensi dioecesi divisit, separavit ac seiunxit, in novam ac distinctam dioecesim erigendum, atque hac dismembratione et separatione facta statum praedictum eiusque territorium dioecesi novi Episcopatus de Alagoas nuncupandi, ubi novus Episcopus eiusque in Episcopatu successores semper residere debebunt, perpetuo assignavit et attribuit, omnesque habitatores et incolas utriusque sexus tam laicos quam clericos et religiosos non tamen exemptos, in eodem statu degentes, nec non Ecclesias, Conventus, Monasteria, pia Instituta, si quae adsint, et alia quaecumque saecularia ac regularia beneficia ab ordinaria iurisdictione Olindensis Antistitis, nec non ab omni iure Capituli et Canonicorum eiusdem Olindensis cathedralis Ecclesiae perpetuo exemit, disiunxit, ac episcopali Ecclesiae de Alagoas noviter, ut infra, erigendae, eiusque futuro Praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero ac populo perpetuo supposuit, attribuit ac subiicit.

II.

Praeterea Sanctitas Sua decrevit ut civitas *Maceió* vulgo nuncupata, quae status civilis *de Alagoas* caput est, in civitatem episcopalem novae dioecesis de Alagoas nuncupandae erigatur cum suis iuribus, honoribus et praerogativis, quibus aliae in Brasiliana Republica existentes civitates pontificali Sede insignitae et earum cives utuntur et gaudent.

III.

Ecclesiam autem matricem in supra dicta civitate Maceió existentem, Sanctitas Sua in episcopalem et cathedralem Ecclesiam novae dioecesis sub titulo et invocatione Dominae Nostrae *dos prazeres* nuncupandam constituere dignata est, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro uno Episcopo de Alagoas appellando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi, ut infra, constituendae praesit, Synodum convocet, et omnia ac singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus personalibus et mixtis, quibus ceterae in Brasiliana Republica existentes cathedrales Ecclesiae earumque Praesules non tamen titulo oneroso aut ex indulto

peculiari gaudent et gaudere poterunt, de Apostolicae potestatis plenitudine erigere et instituere.

IV.

Novae autem huic dioecesi de Alagoas nuncupandae Sanctitas Sua totum territorium status civilis, cognominis scilicet de Alagoas, addixit et attribuit, servato eo ambitu iisdemque limitibus, quibus idem territorium geographice et politice actu definitur et circumscribitur, cuius territorii extentio ad chilometra quadrata quadringenta nonaginta et unum supra quingenta et octo chilometrorum millia patet, in quo incolae iuxta recentiores censuales tabulas quadringenti quadraginta supra quingenta et undecim incolarum millia et paroeciae matrices quatuor et triginta numerantur. Totum denique territorium terminatur a septentrione et occasu statu civili Pernambuci, a meridie statibus Bahiae et Sergipe iuxta flumen sancti Francisci usque ad eius exitum atlantiacum, ab oriente demum oceano atlantico terminatur.

V.

Cum autem maxime intersit, ut necessariis proventibus et redditibus episcopali mensae de Alagoas consulatur, summopere in votis habet Sanctitas Sua et fore confidit ut Gubernium civilis status de Alagoas, nec non fideles huius regionis, quorum pietas et religio maxime

laudatur, et quorum spirituali utilitati promovendae novi huius Episcopatus erectione Apostolica Sedes operam contulit, pia liberalitate et congruis oblationibus opem et subsidia conferant, quibus novus Episcopus eiusque Successores dignitatem episcopalem decenter tueri valeant, et quibus divino cultui, sacrorum ministrorum necessitatibus et dioecesanis operibus opportune provideatur, cum novae dioecesi nulla alia temporalia bona praesto sint, nisi ea quae a pietate et bona voluntate fidelium cum maximo eorumdem spirituali lucro proficiscuntur.

VI.

Novus autem Episcopus cathedralis Ecclesiae ut supra erectae Capitulum iuxta canonicas sanctiones, cum primum fieri poterit, erigendum curabit, servato canonicorum numero, servatis iisdem dignitatibus aliarum Ecclesiarum cathedralium, quae in Brasiliana Republica legitime constitutae reperiuntur. Interea, donec cathedrale Capitulum constitutum fuerit, Episcopus consilium sibi ex probatis et prudentibus viris assumet, et eorum prudentiae adiumento in maioribus expediendis suae dioecesis negotiis utetur.

VII.

Ubi vero cathedralis Ecclesiae Capitulum fuerit canonice erectum, eidem Sanctitas Sua facultatem impertit statuta, ordinationes et decreta iuxta sacrorum Canonum

et praecipue sacrae Tridentinae Synodi praescriptiones conficiendi, quae tamen Ordinarii Antistitis cognitioni et approbationi subiicienda erunt, nec non facultatem gaudendi privilegiis omnibus ad instar aliorum Capitulorum cathedralium in Brasiliana Republica existentium, non tamen titulo oneroso aut ex peculiari indulto acquisitis.

VIII.

Illud autem vehementer Sanctitas Sua exoptat ac praecipit ut novus Episcopus dioecesis de Alagoas solertem et impigram det operam alumnorum sacrorum Seminario iuxta Tridentini Concilii praecepta in sua dioecesi, ubi primum fieri poterit, constituendo, omni cura adhibita ut in eo alumnorum, qui in spem Ecclesiae succrescunt, pietas et morum probitas vigeat et floreat, atque ut iis doctrina tum philosophica tum theologica praesertim ex fontibus Angelici Doctoris hausta tradatur.

IX.

Item voluit Sanctitas Sua ut omnia et singula documenta ecclesiastica respicientia statum civilem de Alagoas in propriam ac distinctam dioecesim hoc consistoriali decreto erectum, tum paroeciam vulgo *Brejo Grande* nuncupatam a dioecesi Olindensi divulsam et Archidioecesi sancti Salvatoris attributam, a Cancellaria cathedralis Olindensis, ad quam hactenus status praedictus

pertinuit, extrahantur, et Cancellariis tum noviter erecti Episcopatus, tum Archidioecesis praedictae sancti Salvatoris, cum primum fieri poterit, tradantur, et in iis respective serventur.

X.

Episcopalem insuper Ecclesiam de Alagoas noviter, ut supra, erectam Sanctitas Sua suffraganeam constituit Archiepiscopi sancti Salvatoris in Brasilia, atque eiusdem Archiepiscopi metropolitico iuri subiecit.

XI.

Expresse autem Sanctitas Sua in hac nova dioecesi erigenda Sibi et Apostolicae Sedi facultatem reservavit novam eiusdem dioecesis dismembrationem seu circumscriptionem libere faciendi quandocumque id expedire in Domino visum fuerit, quin ullum in id Antistitis et Capituli cathedralis assensum requiri, aut territorialem ullam compensationem constitui et attribui necesse sit.

XII.

Ea tandem omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quorum in hoc consistoriali decreto expressa mentio facta non est, voluit Sanctitas Sua firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae

disciplinam manere debere. Si qua autem difficultas aut controversia quoad praemissa in nova erecta dioecesi oritura sit, ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae rebus omnibus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XIII.

Novam porro cathedralem Ecclesiam de Alagoas nuncupandam praecipit Sanctitas Sua, habita ratione conditionis temporum, in florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi.

XIV.

In executorem denique huius decreti, ex speciali gratia perinde valituri ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub Plumbo expeditae fuissent, eadem Sanctitas Sua deputare dignata est R. P. D. Iosephum Macchi Archiepiscopum titularem Thessalonicensem, in Brasiliana Republica Internuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum, de quo agitur, nec non definitive pronuntiandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta praefato executori obligatione intra quinque menses transmittendi ad sacram hanc Congregationem Consistorialem acta et decreta authen-

tica forma exarata executionis peractae, mandavitque praesens expediri Consistoriale Decretum, et referri in acta eiusdem sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die II Iulii, anno MCM.

† Carolvs Patriarcha Antiochenvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

AL SIGNOR CARDINALE
PIETRO RESPIGHI
NOSTRO VICARIO GENERALE

Signor Cardinale

I luttuosi avvenimenti, che si succedono in Cina, oltre all' empirci l' animo di dolore per lo spargimento di tanto sangue umano, Ci tengono oltremodo trepidi e in ansia sulle sorti dei Vicariati Apostolici colà esistenti, e sui pericoli dei Missionarî e delle cristianità, che veggonsi esposte alle più dure prove ed al sacrifizio stesso della vita. Ad impetrare che la clemenza divina riguardasse propizia quelle popolazioni agitate, ed allontanasse i disastri da tutti temuti, già sapevamo che il Collegio Urbano di Propaganda ed altri religiosi Istituti di Roma, al primo giungere delle infauste notizie, avevano cominciato comuni preghiere. Ora però, al crescere delle difficoltà e delle angustie, reputiamo opportuno e doveroso, che al fervore di siffatte preghiere si partecipi ancora più largamente in questa Nostra Città. È pertanto Nostro vivo desiderio, che ella, Signor Cardinale, rivolgendosi a tutte le Comu-

nità religiose, rammenti loro la necessità d' innalzare umili suppliche all' Altissimo, perchè, ispirando pensieri di concordia e di pace, dia termine alle rovine ed alle stragi. Ed affinchè tali preci, che, in unione alle Nostre, i fedeli sollevano per i fratelli lontani, riescano più efficaci, Noi impartiamo di tutto cuore tanto a lei che alle dette Comunità, l' Apostolica benedizione.

Dal Vaticano 16 Luglio 1900.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO PATRIARCHAE
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS GRAECO-MELCHITIS

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Omnibus compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres, Nos, sub ipsa Pontificatus initia, ad christianas Orientis nationes oculos peramanter convertisse. Editis insuper nonnullis actis, praesertim Constitutione *Orientalium,* plura a Nobis sunt opportune declarata et decreta ad earumdem coniunctionem cum Petri Cathedra obstringendam, nec non ad reconciliationem dissidentium fovendam. Alias deinceps occasiones libenter nacti sumus actuosae benevolentiae erga catholicos orientales testandae, et nihil profecto antiquius, nihil sanctius habuimus, quam, animis cum Sede Apostolica obstrictis, adeo in eis ardorem excitare et fecunditatem fidei, ut ad maiorum excellentiam et laudem, renovatis exemplis, nitantur.

Inter omnes vero orientales ecclesias, inclitam nationem et patriarchatum antiochenum graeco-melchitam singulari prorsus benevolentia prosequuti sumus et prosequimur. Etenim, ut pauca tantum nunc commemoremus, optime nostis, Venerabiles Fratres, Nos inde ab anno MDCCCLXXXII Seminarium in urbe Ierosolymitana pro Graeco-Melchitis instaurasse, eique Missionales Algerinos praefecisse. Praeterea plures alumnos ex eadem natione graeco-melchita, Nostris expensis, Romae in Athanasiano Collegio instituendos curamus, ut ad fontem ipsum catholicam veritatem hauriant, et unitatis centrum, quod in Sede Apostolica divinitus constitutum est, venerari coram atque adamare adsuescant. Denique, anno MDCCCXCIV, uti ex eadem Constitutione *Orientalium* eruitur, Patriarchae graeco-melchitae iurisdictionem tribuimus in eos quoque fideles eiusdem ritus, qui intra fines turcici imperii versantur.

Paternae huic benevolentiae erga nationem graeco-melchitam apte respondisse religiosam vestri Ordinis operam libenter testamur; tum ob sedulitatem, qua, in sollicitudinis Nostrae partem vocati, ministerio vestro fungi studetis, tum ob industriam qua commissi gregis incolumitati prospicitis. Etsi vero haec omnia non sine vestri Ordinis laude commemoremus, dissimulare tamen non possumus, tristitiam qua affecti sumus, cum leves quasdam dissensiones inter vos nuper exortas noverimus. Huiusmodi dissidium, favente atque opitulante Dei gratia, componere potuimus; quum enim plures ex vobis, qui elapso mense Romam petierunt, hortationibus Nostris

laudabiliter obtemperaverint, pax et concordia illico restituta est. Nunc vero ad hanc animorum consensionem firmandam tria potissimum per praesentes Litteras declaranda censuimus.

I. Quoad Patriarchalia iura, privilegia, munera, praerogativas nihil detractum volumus aut imminutum; simul tamen Venerabilem Fratrem Nostrum Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitam enixe rogamus, ut eiusdem nationis episcopos, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, ea qua par est, reverentia prosequatur et fraterna caritate complectatur, iuxta beati Petri Principis Apostolorum praeceptum: *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* [1]; cui consonant praeclara Bernardi verba: *Magis agat caritas, quam potestas.*

II. Praeterea episcopos omnes eiusdem nationis monemus, ut praelaudato Patriarchae tamquam legitimo Praesuli honorem et obsequium exhibeant, debitamque obtemperationem praeseferant; quod si quaedam suboriatur inter ipsos controversia, eam primum Patriarchae iudicio demisse subiiciant: si vero rem dirimi non eveniat, ad Sedem Apostolicam reverenter deferatur.

III. Ad praecavendas futuras iurium contestationes, optime valitura est Synodi Nationalis celebratio. Quocirca, quemadmodum alias vobis commendavimus, ita nunc per praesentem epistolam praecipimus ut huiusmodi Synodus quantocius convocetur, in qua de iuribus Patriarchae et

[1] I. Petr. v, 3.

Episcoporum, de recta fidelium administratione, de cleri disciplina, de monachorum vel aliis piorum institutis, de missionum necessitatibus, de cultus divini decore, de sacra liturgia, de cognatisque agatur rebus, quae diligenter cautissimeque sunt reputandae ad maiorem Dei gloriam procurandam et Ecclesiae graeco-melchitae splendorem augendum. Uti penes alias orientales ecclesias Synodi nationalis celebratio maximo fuit emolumento pro negotiis componendis et ecclesiastica disciplina instauranda, ita vestrae Ecclesiae ex legum scriptarum elucubratione et promulgatione praeclaros fructus profecturos, Nobis iure merito pollicemur.

Nunc vero, antequam finem praesentibus litteris imponamus, intimo Nostri cordis affectu vos hortamur et obsecramus, ut quotidie magis arctissimo caritatis foedere devincti, *solliciti sitis cum omni humilitate et mansuetudine servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Nemo enim vestrum ignorat quantopere ad totius Ecclesiae bonum et ad reconciliationem dissidentium fovendam intersit, animorum, voluntatum et sententiarum concordia. Quapropter certa Nobis spes est, Venerabiles Fratres, futurum ut vos paternis hisce monitis, desideriis, postulationibus libentissime obsequentes, dissensionum germina radicitus evellere ac ita gaudium Nostrum implere velitis, omnesque gravissimi vestri muneris partes obire ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi. Persuasum vobis sit, deliberatum esse Nobis ea omnia praestare, quae ad maiorem ecclesiae graeco-melchitae utilitatem

pertinere posse noverimus. Interim in humilitate cordis Nostri Deum oramus et obsecramus, ut caelestium charismatum copiam vobis propitius largiatur. Ac divini praesidii auspicem et flagrantissimae illius, qua vos in Domino amplectimur, caritatis testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus graeco-melchitis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Iulii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VENERABILI DEI FAMVLAE CRESCENTIAE HÖSS

MONIALI PROFESSAE TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI

BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quod Ioannes vidit in Monte Sion, Virginum agmen sequi Agnum quocumque ierit « et suavissimum audivit edere canticum » quod nemo poterat dicere, luculenter demonstrat, quanti apud Deum habeatur intemerata virginitas, ea nimirum vivendi ratio angelicae potius quam humanae naturae consentanea. Singulare hoc evangelicae gratiae munus post magnam Virginem Dei parentem, quae merito virginalis decoris auctor est habita, complures utriusque sexus adolescentes stolis amicti candidis in Ecclesia Dei studiose retinuerunt, et restincto carnis ardore, fluxis sensuum voluptatibus aeterna caeli gaudia antetulere. Quapropter in Ecclesia catholica purpureis Martyrum rosis intertexta sunt nivea Virginum lilia ita ut ex iis splendidissima necteretur corona, qua immaculata Christi Sponsa

gaudet redimiri. In istiusmodi Virginum agmine praeclare excelluit saeculo septimo supra decimum Crescentia Höss, quae virginalem candorem Deo a pueritia devotum eximiarum cumulavit laude virtutum. Nata est Kaufburae in Svevia intra fines dioecesis Augustanae pientissimis parentibus Mathia Höss et Lucia Hörmann, qui sibi suisque textrino opere faciundo victum quaeritabant. Decimo tertio Kalendas Novembris anni MDCLXXXII postridie natalis diei baptismate sancto ritu est abluta, nomenque Annae infantulae est inditum. Vix tener animus sese explicuit, constat mirificam emicuisse virtutis indolem, quae quotidie magis confirmata est cum ad eam accederet optima parentum disciplina. Ea aetate quae maxime solet ineptiis nugisque esse dedita nihil ipsa pueriliter fecisse dicitur, ab iis enim prorsus aliena patri Evangelii facta narranti tanta animi attentione aures praebere est solita, ut plane videretur divinae familiae gaudere gaudia, Christi cruciatibus illacrimari et Matri perdolenti condolere. Puella septennis doctrinae christianae praeceptis sic est erudita ut ea in Curiali templo aequalibus suis facile posset tradere et de iis cum doctis disceptare. Per id tempus cum iam magno teneretur caelestis convivii desiderio, annuente Parocho, incredibili perfusa gaudio ad primam Synaxim accessit. Tum vero Anna, ut melius possideret Dominum et possideretur a Domino, eam amplexa est vitae rationem quae probe videbatur singulari illi virtutum excellentiae praeludere quam postea fuit consequuta. Parentibus et magistris ita esse obsequens ut ne leviter quidem de ea queri

possint: coetibus et ludis abstinere etiam licitis: in secretum domi seducta rerum caelestium contemplatione animum pascere; omnia christiana officia persolvere, sic ad pietatem et modestiam composita ut ceteris exemplo esset et incitamento ad imitandum. Proditum memoria est, non semel quum Anna ad sacras aedes ut mystico pabulo se reficeret iret matutina, et illae adhuc essent clausae, repente fores mirum in modum ad eius aditum per se patefieri. Caritas summa in Deum germanam erga proximos caritatem incendit, ac propterea quidquid unciatim de suo demenso compendii fecerat, in pauperes liberaliter contulit. Saepe accidit ut aliquis mendicus inter prandium coenamve ab domi ostio panem rogaret, et Anna misericors, venia a patre exorata, advolaret subito suumque obsonium cum illo divideret. Singulari etiam amore et studio ferebatur in Virginem Deiparam, cui, ut sibi benevolentiam eius et gratiam conciliaret, intactum obtulit florem devovitque virginitatis suae. Grandior natu facta, parentes adiuvit et in textrina se exercuit, sed cum probe intelligeret quae et quanta moliatur quotidie mundus pudicitiae pericula, pia atque humili prece Deum coepit implorare ut sibi concederet in claustrales aedes inter moniales posse recipi. Fama tenet olim Annam, cum in asceterio Monialium tertii Ordinis sancti Francisci, flexa genibus, confecta moerore et lacrimis ad pedes Cruci suffixi preces et obsecrationes humiles effunderet, Iesu vocem audivisse qui dixit: « Hic habitatio tua erit ». Nec vana decepta est specie, nam Christi simulacrum propius inspi-

ciens dicitur adhuc hiantia eius labia animadvertisse. Iam fausto excitata atque elata prodigio, domum ad parentes advolat, rem narrat, quae sit eorum sententia rogitat. Pater, qui textorio opere vitam cum liberis aegre tolerat, se habere negat unde necessariam monasterii dotem conficiat. Sed Deus qui nobis saepe « dat salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos », insperatam opem attulit opportune. Etenim iis ipsis diebus cum Monasterium Kaufburanum tertii Ordinis, quod tunc erat sine censibus, in summis rei familiaris augustiis versaretur, evenit ut vir quidam lutheranus, urbis illius consul, beneficium ingens in idem monasterium contulisset, atque egregie de illius Antistita et Monialibus esset meritus. Hic, qui Annam forte noverat et mores singulares virtutemque virginis plurimi habebat, sic dexter egit cum Monialibus ut Annam indotatam reciperent. Sic facta voti compos, posuit tirocinium annos nata unum et viginti in statione quam sibi Deus assignaverat. Asceterium ingressa, facile monialibus ceteris fervore pietatis et monasticae disciplinae observantia antecelluit, ita ut multae illam quasi exemplar quod imitarentur, suspiciebant. Breve tamen gaudium fuit: nam sive ob humanam fragilitatem, sive ob perversam calliditatem diaboli, qui invidiae flammas in aliquot monialibus excitaverat, factum est ut Antistita et antiquiores moniales suavissimos tirunculae mores fastidientes eam devexare coeperint, et nihil indignum excogitari potest, quod illi perpetiendum non dederint. Obiiciebatur Dei famulae quod esset indotata inter

ceteras virgines cooptata, quod pauperes fraudaret et falleret quibus panem eripiebat, quod virtutis specie pietatisque simulatione amorem et benevolentiam et opinionem aucupari vellet. Adeo res rediit, ut a proprio cubiculo exturbata noctu veluti mendica ostiatim ad humaniorum sororum cellas dormitum iret per duos fere tirocinii annos. Ipsa autem Dei fiducia et conscientiae testimonio freta, saeviente extrinsecus procella, animi servavit aequabilitatem, donec tirocinii cursum emensa, quod Deo voverat, religionis sacramento confirmavit, sibique Mariae Crescentiae nomen imposuit sexto Idus Iunias MDCCIV. A virgine victus rabida exarsit ira diabolus, novamque iniit bellandi rationem eamque aperta vi, verberibusque etiam spectrisque, horrendum in modum insectatus est. Modo enim ut novae monialis noctes insomnes redderet horribilem strepitum excitavit: modo somno indulgentem a lectulo violenter deiecit in terram: mox, coram sororibus culpas de more confitenti, humo frontem iteratis ictibus impegit: mox communi mensae assidentem per vim e loco raptam in triclinii pavimentum elisit: mox tam diris eam colaphis cedit ut ex ore ac naribus copiosum cruorem effuderit. Per medias etiam trabes ab eminentiore aedificii contignatione in inferiorem proiecit, eamque sanguine conspersam ac fere semianimem humi iacentem obstupescentes sorores invenerunt. Saepe rigente hyeme in horti profluentem aquam Crescentiam detrusit aut ingenti lignorum strui per vim subiecit. Inferni hostis rabiem per quatuor annorum spatium aequo animo tulit,

neque interea contubernales sorores ab insectationibus abstinebant. Sollemnia licet iam emisisset vota, illius tamen pietati illudentes invictam venerabilis Dei famulae patientiam omnibus artibus frangere tentarunt. Sed ipsa innocens, veluti agnus obmutescens, et saepe ab offensoribus suis flexis genibus veniam postulans, probra, iniurias, ludibria in se lata humilitate sua superabat: donec adversae moniales Crescentiae innocentia, fortitudine, virtutibus ac caelestibus donis permotae, mutata prorsus sententia, sanctitatis illius singularis praecones prae ceteris evaserunt. Quare ab inferioribus textricis, coquae et ianitricis officiis, quibus egregia quidem laude functa erat, tironibus praeficitur instituendis, ut spectatissimis suis moribus iuniores virgines informaret ad virtutem. Hoc munus per septem ac decem annos religiosissime gessit, cumque tironibus non modo, sed ceteris etiam sororibus regularis perfectionis exemplar appareret, unanimi suffragio totius asceterii praeses renuntiatur. Tunc maxime eius ductu rigidae altaeque virtutis et religiosae disciplinae studium late ipso in monasterio floruit, et fama sanctitatis illius universam Germaniam, Bavariam, Hungariam aliasque nationes pervasit, et innumeris caelestibus donis prophetiae, consilii, cordis scrutationis scientiaeque auctam (de mysteriis enim theologice disserebat et quaestiones difficiliores licet indocta solvebat) illam tamquam oraculum ex dissitis quoque regionibus dignitate, doctrina ac virtute insignes viri petebant; civitatum optimates, ipsique reges eam consultum adibant; catholici simul

atque acatholici nomen illius late praedicabant. Bavariae Electrix Amalia, ambo Romanorum Imperatoris Caroli VII fratres, Theodorus Cardinalis Bavarus et Coloniensis Elector, Clemens Augustus Archiepiscopus Salisburgensis, Leopoldus de Firmian Episcopus Constantiensis et Augustanus, Ioannes Franciscus de Stauffenberg Episcopus Campidonensis, Anselmus Sigmaringae Princeps, Ducissa Sabaudiae orta Principissa de Lichtenstein, Cardinalis de Rodt, et ipse Caesareus copiarum Praefectus Comes Collowod qui longum idcirco suscepit iter, aliique fere innumeri Ecclesiae saeculique primores illam ad alloquendam sedulo studio confluebant. Qui Crescentiam adire nequibant se per litteras eius precibus commendabant, quorum in censu fuere Imperatrices Amaliae, altera Iosephi I et altera Caroli VII coniux, Rex et Regina Poloniae, Dux et Electores Saxoniae et Coloniae, Episcopus et Lavantinus et Brixinensis, Abbas Princeps Kemptensis, Bavariae Ducissa Emmanuela Theresia Caroli VII Imperatoris soror, Margravia Badenae aliaeque principes feminae virique praenobiles. Tandem sanctimoniae ac prodigiorum celebritate spectata cum secundum et sexagesimum aetatis suae annum ageret, divini potius ardoris vi quam naturali morbo consumpta, praenuntiata obitus hora, nonis Aprilis anno MDCCXLIV beatissimo exitu ad caelestis Agni nuptias evolavit. Mariae Crescentiae sanctitatem mira charismata dum vixit, prodigia vero vel in funere ac deinceps confirmarunt. De binis actio a sacrorum Rituum Congregatione instituta rite est, omnibusque de iure absolutis. de

duobus prodigiis, quae ipsa Venerabili Dei famula deprecante patrata divinitus ferebantur, Nos solemni decreto quinto Calendas Martias huius vertentis anni dato, suprema Nostra Apostolica auctoritate interposita, constare edidimus. De quo duplici miraculo cum iam esset prolatum iudicium, unum supererat iuxta sacri fori instituta inquirendum, utrum beatorum caelitum honores Venerabili Servae Dei Mariae Crescentiae Höss tuto decerni possent. Itaque in generalibus sacrorum Rituum Congregationis comitiis coram Nobis habitis sexto Calendas Apriles huius anni dilectus filius Noster Caietanus S. R. E. Presbyter Cardinalis Aloisi-Masella, loco et vice dilecti filii Nostri Miecislai ipsius S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ledóchowski causae relatoris, dubium proposuit, an stante approbatione duorum miraculorum tuto procedi posset ad solemnem huius Venerabilis Servae Dei Beatificationem, omnesque tum Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste Nobis a luminum Patre auxilium compararemus. Die vero sacro ob memoriam Christi Hierosolymam ingredientis inter palmas olivarum huius anni, salutari Hostia perlitata, decrevimus atque ediximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famulae Mariae Crescentiae Höss Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos moti precibus universi Ordinis sancti Francisci, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, facultatem facimus ut Venerabilis

Dei Famula Maria Crescentia Höss, Monialis professa tertii Ordinis sancti Francisci, Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lypsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illa recitetur Officium et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum cum orationibus tamen propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Augustana atque in templis et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur universus Ordo sancti Francisci ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus qui horas canonicas recitare teneantur. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Mariae Crescentiae Höss in dioecesi ac templis supra dictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus diebus per ordinarium designandis intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supra dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae

Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XXVII Iulii MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

L. ✠ S.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

ALOISIO EPISCOPO ASSISIENSI

ASSISIVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praestantiam Assisiensis urbis, a beatissimo Francisco partam, eo vel amplius commendat Clarae nomen et virtus, quae prima extitit eiusdem patris alumna, virginalis sanctimoniae cultrix eadem et fautrix eximia. Rectequе nunc coniuncta civium piorum studia, te praeeunte, in id calescunt ut tantae Virgini insignes quidam honores habeantur, quum quinquennia explentur dena ex quo sacrum eius corpus inventum feliciter est. Qua oblata Nobis opportunitate, libens animus ad Umbriam revolat dilectissimam; maxime quia illud ipsum factum non modo intima recordatione inhaeret, sed etiam veluti praesens ante oculos obversatur. Nam in corona episcoporum quos Antistes Assisiensis, ad fidem rei celebritatemque augendam, ex finitimis urbibus humaniter advocarat, Nos quo-

que adfuisse gratiam Deo profitemur. — Solemni ritu, cum delecto sacerdotum et civium comitatu ventum est ad Clarae templum: in cuniculum sub ara maxima alte defossum succedimus; ad permunitum loculum adstamus venerabundi. Eo coram recluso, tam diu desideratae patescunt exuviae, dormientis in modum cum lauro compositae suaviterque circum halantes. Tum Nobis singulariter contigit, laboriosum id quidem sed quam gratissimum, ut pretiosas eas margaritas Nostris ipsi manibus ad unam e loculo colligeremus, digniore in arca recondendas. Praescriptis quae oportebat legitime perfectis, thesaurus ipse rite profertur, arae impositus ornatissimae; ad eum omnium oculi cupide convertuntur et vota: qui demum per urbem, faustitatis auspex, circumlatus est pompa maxime splendida: quanto quidem cum gaudio et Nostro et omnis cleri populique confertissimi, dici vix potest. — Hac tota in re admirari sane licuit peramans Dei consilium, tum ut humillimae fidelissimaeque Virginis in opinione et spe hominum accresceret gloria, tum etiam ut ex ossibus eius, quasi pullulantibus de loco suo, late efflaretur bonus odor Christi, generosae virtutis incitamentum. Adsimiles plane fructus optari atque expectari par est ex festa memoria facti proxime renovanda. Clarae conciliatricem ad Deum gratiam, quotquot pie imploraverint, in primisque cives sui, abunde sentiant; exemplumque eius salubriter moneat, tam molli praesertim saeculo, quanti sit et quam beatum, ex caducis rebus assurgere, humilem sequi Christum, animose crucem eius

amplecti. Itaque tuam, Venerabilis Frater, sollertiam eiusque pariter coetus qui sacris istis solemnibus apparandis dat tecum operam, merita laude ex animo honestamus: communes curas secundus exitus compleat. — Nos autem qui, pro veteri benevolentia erga istud virginum Claralium coenobium, tutelam eius Nobismetipsis propriam iampridem voluimus, eumdem peculiarem animum hac praeclara occasione prorsus confirmamus: simul ipsas hortamur ut sanctae Matris legiferae vestigiis religiosissime insistentes, ad institutam perfectionem alacriore in dies proposito pergant, et Patris caelestis clementiam in prodigos errantesque filios exorare ne cessent. Placet porro donum adiicere, Nostrae in Claram pietatis testem mansurum; quod ipsa excipere velit perbenigna, et canitiem Nostram in mediis iactatam fluctibus praesenti ope iuvare. Iamvero accedat divinorum munerum copia per Apostolicam benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, et clero atque eisdem devotis virginibus omnique populo tuo amantissima voluntate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

DECRETVM

DE ERECTIONE
NOVAE DIOECESIS « DE POUSO ALEGRE »
IN BRASILIANA REGIONE

—

Regio latissime patens est in Brasiliana ditione, in parte meridionali posita status civilis qui Minas Geraes dicitur, quae regio proprio nomine *Sul de Minas* nuncupatur, populi multitudine ita abundans ut in ea fere biscentum millia super decies centena capitum millia censeantur. Haec ampla regio suis naturalibus finibus a statu civili Minas Geraes discreta et seiuncta, distinctam provinciam per se constituit, quae salubritate ac fertilitate praestans, advenarum immigrationibus occasionem praebet, cuius habitatores catholicae religioni sincero sensu devincti, propriis usibus, moribus, industriis et territorii proventibus vivunt. Haec autem regio quoad spiritualem animarum cultum et rei sacrae procurationem partim Episcopi Mariannensis, partim Episcopi sancti Pauli iurisdictioni subiecta est, sed adeo ab his episcopalibus sedibus dissita, ut curis et opera suorum Pastorum haud facile fideles frui possint, nec adaequata subsidia ex parte sui cleri habere queant,

qui spiritualibus eorum necessitatibus curandis par esse non potest. Has ob causas saepe anteactis temporibus consilium initum fuit postulandi ab Apostolica Sede, ut in praedicto amplissimo tractu seu territorio *Sul de Minas* nuncupato propria Sedes Episcopalis erigeretur; novissime autem praedicti territorii clerus et fideles humiles preces ad Ssm̃um Dominum Nostrum Leonem PP. XIII detulere ut Sanctitas Sua, praevia dismembratione regionis *Sul de Minas* ab dioecesibus sancti Pauli et Mariannensi, in eadem regione episcopalem cathedram constituere dignaretur. Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis ac attento libero et expresso consensu Episcoporum sancti Pauli et Mariannensis actu existentium, quorum iurisdictioni respective novae dioecesis territorium subiectum est, atque in eamdem dismembrationis et erectionis mentem conveniente Internuntio Apostolico apud Brasilianam Rempublicam, Apostolica auctoritate totam regionem ac territorium, quod *Sul de Minas* nuncupatur, a dioecesibus Mariannensi et sancti Pauli respective divellendum et dismembrandum statuit, ac episcopalem propriamque Sedem in eo territorio erigendam decrevit in eum, qui sequitur, modum.

I.

Primo itaque Sanctitas Sua totam regionem in parte meridionali status civilis, qui Minas Geraes appellatur, positam, quae proprio nomine *Sul de Minas* dicitur, atque actu partim spirituali iurisdictioni Episcopi sancti Pauli,

partim iurisdictioni Episcopi Mariannensis subiecta est, finibusque infra designandis continetur, a territorio praedictarum dioecesium divisit ac separavit in novam ac distinctam dioecesim excitandam et erigendam, atque dismembratione ac separatione facta, regionem praedictam dioecesi novi Episcopatus, ut infra, erigendi, et a civitate episcopali *Pouso Alegre* ut infra constituenda nuncupandi, ubi novus Episcopus eiusque in episcopatu successores semper residere debebunt, perpetuo assignavit et addixit, omnesque habitatores et incolas utriusque sexus, tam laicos quam clericos, et religiosos non tamen exemptos, in regione, ut supra, degentes, nec non ecclesias, conventus, monasteria, pia instituta, si quae adsint, et alia quaecumque saecularia et regularia beneficia ab ordinaria iurisdictione Antistitum dioecesium sancti Pauli et Mariannensis, nec non ab omni iure Canonicorum utriusque cathedralis Ecclesiae perpetuo exemit ac seiunxit et episcopali Ecclesiae de Pouso Alegre eiusque futuro Praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuo supposuit atque subiecit.

II.

Iussit praeterea Sanctitas Sua ut civitas Pouso Alegre vulgo dicta, in civitatem episcopalem, a qua nova dioecesis nuncupanda erit, erigatur cum suis iuribus, honoribus et praerogativis, quibus aliae civitates episcopali Sede insignitae in Brasiliana Republica, et earum cives utuntur et gaudent.

III.

Ecclesiam autem matricem eiusdem civitatis de Pouso Alegre sub titulo et invocatione Boni Iesu nuper restauratam, Sanctitas Sua in cathedralem Ecclesiam sub eodem titulo et invocatione nuncupandam constituere dignata est, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro uno Episcopo de Pouso Alegre nuncupando, qui eidem Ecclesiae eidemque civitati et dioecesi noviter erectae praesit. Synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat cum suis Capitulo, mensa episcopali ceterisque cathedralibus, et pontificalibus insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis quibus aliae in Brasiliana Republica existentes cathedrales Ecclesiae, earumque Praesules, non tamen titulo oneroso aut ex indulto peculiari gaudent et gaudere poterunt, de Apostolicae potestatis plenitudine erigere et instituere.

IV.

Novae autem huic episcopali Sedi de Pouso Alegre noviter erectae Sanctitas Sua regionem in parte meridionali status civilis Minas Geraes appellati, quae *Sul de Minas* dicitur, pro territorio et dioecesi attribuit et addixit, quae suis finibus naturalibus omnino distinguitur et dirimitur a reliquo territorio, quod ad statum civilem Minas

Geraes pertinet. Fines proinde huius novae dioecesis ex una parte limitibus civilis status sancti Pauli definiuntur; ex altera parte flumine vulgo *Rio-Grande* circumscribuntur, quod flumen huius novae dioecesis territorium a reliquo tractu civilis status Minas Geraes secernit, et pro exigua parte a limitibus finitimi status civilis a fluvio Ianuario nuncupati separat ac dirimit.

V.

Cum autem omnino necessarium sit, ut congruis proventibus et redditibus doti Episcopalis mensae de Pouso Alegre consulatur, illud summopere in votis habet Sanctitas Sua et fore confidit, ut tum Rerumpublicarum praesides, tum municipia locorum, tum fidelium pietas, quorum spirituali utilitati novae huius dioecesis erectione consulitur, necessariam opem et subsidia conferant, quibus novus Episcopus eiusque successores dignitatem episcopalem decenter tueri valeant, et quibus divino cultui, sacrorum ministrorum necessitatibus, et dioecesanis operibus opportune provideatur, cum novae dioecesi nulla alia temporalia bona praesto sint, nisi ea quae a pietate et liberalitate fidelium, cum maximo eorumdem spirituali lucro, proficiscentur.

VI.

Cum vero in qualibet cathedrali Ecclesia Capitulum extare oporteat, quod Episcopi Senatus nuncupatur et

est, decernit Sanctitas Sua ut in erecta cathedrali Ecclesia de Pouso Alegre novus Episcopus, cum primum fieri poterit, Capitulum iuxta canonicas sanctiones, et praesertim sacri Concilii Tridentini praescripta, erigendum curet, servato canonicorum numero, servatis iisdem dignitatibus aliarum Ecclesiarum cathedralium, quae in Brasiliana Republica constitutae reperiuntur. Interea donec cathedrale Capitulum erectum fuerit, Episcopus consilium sibi ex probatis et prudentibus viris assumet, et eorum prudentiae adiumento in maioribus expediendis negotiis suae dioecesis utetur.

VII.

Ubi vero cathedrale Capitulum fuerit canonice constitutum, eidem Sanctitas Sua facultatem impertit statuta, ordinationes, decreta iuxta sacrorum Canonum et praecipue sacrae Synodi Tridentinae praescriptiones conficiendi, quae tamen decreta ordinarii Antistitis cognitioni et approbationi subiicienda erunt; nec non facultatem tribuit gaudendi privilegiis omnibus ad instar aliorum Capitulorum cathedralium in Brasiliana Republica existentium, non tamen titulo oneroso aut ex peculiari indulto acquisitis.

VIII.

Insuper Seminarium, ex Tridentinorum Patrum ordinatione in qualibet dioecesi constituendum, Sanctitas Sua,

ubi primum fieri poterit, erigi mandavit in hac nova dioecesi de Pouso Alegre, in quo Seminario adolescentes clerici ad Ecclesiae disciplinam informentur, utilibus impositis legibus, queis in hac potissimum calamitate temporum pietas, morum probitas, et sana doctrina tum philosophica tum theologica ex fontibus praesertim Angelici Doctoris hausta, omni cura tradatur et foveatur.

IX.

Ad consulendum autem rectae administrationi et regimini noviter erectae dioecesis de Pouso Alegre iniunxit Sanctitas Sua ut omnia et singula documenta ecclesiastica respicientia regionem *Sul de Minas* limitibus ut supra circumscriptam, et in propriam et distinctam dioecesim hoc decreto erectam, a cancellariis Ecclesiarum sancti Pauli et Mariannensis, quarum spirituali iurisdictioni hactenus regio praedicta subiecta fuit, respective extrahantur, et Cancellariae neo-erecti Episcopatus, cum primum fieri poterit, tradantur, et in ea accurate serventur.

X.

Episcopalem vero Ecclesiam de Pouso Alegre Beatitudo Sua suffraganeam constituit Archiepiscopi sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, et eiusdem Archiepiscopi metropolitico iuri subiecit.

XI.

Expresse autem Sanctitas Sua in hac nova dioecesi erigenda Sibi et Apostolicae Sedi facultatem reservavit novam eiusdem dismembrationem seu circumscriptionem libere faciendi quandocumque id expedire in Domino visum fuerit, quin ullum in id Antistitis et Capituli cathedralis consensum exquiri, aut territorialem ullam compensationem constitui et attribui necesse sit.

XII.

Ea tandem omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, quarum in hoc consistoriali Decreto expressa mentio facta non est, voluit Sanctitas Sua firma et rata iuxta canonicas regulas, et catholicae Ecclesiae disciplinam manere debere. Si qua autem difficultas aut controversia quoad praemissa in nova erecta dioecesi oritura sit, ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit; quae, rebus omnibus accurate perpensis, prout de iure decernet.

XIII.

Novam porro cathedralem Ecclesiam de Pouso Alegre nuncupandam praecepit Sanctitas Sua, habita ratione conditionis temporum, in florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi.

XIV.

In executorem denique huius decreti, ex speciali gratia perinde valituri ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo expeditae fuissent, eadem Sanctitas Sua deputare dignata est R. P. D. Iosephum Macchi Archiepiscopum tit. Thessalonicensem et in Brasiliana Republica Internuntium Apostolicum cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum, de quo agitur; nec non definitive pronuntiandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta praefato executori obligatione intra quinque menses transmittendi ad hanc sacram Congregationem Consistorialem acta et decreta, authentica forma exarata, executionis peractae; mandavitque praesens expediri consistoriale Decretum et referri in acta eiusdem sacrae Consistorialis Congregationis.

Datum Romae, die IV Augusti, anno Domini MCM.

† Carolvs Patriarcha Antiochenvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTO FILIO

HIPPOLYTO FEHER

ARCHIABBATI CONGREGATIONIS BENEDICTINAE

IN HVNGARIA

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Peracta haud ita pridem celebritate anni millesimi a constituta re hungarica, opportune cadit, ut nonum conficiatur saeculum, ex quo christianae sapientiae in Hungaris professio primum reverentiam auctoritatis publicae debitamque legum tutelam feliciter assecuta est. Commoda enim sese dat occasio expressius commemorandi, quam recte provisum fuerit dignitati et saluti civitatis, quamdiu instituta omnia publica sanctissimae religioni paruerunt: quae quidem commemoratio mirum quantum ad eos redarguendos valet, qui civitatem usquequaque vellent hodie religionis exsortem. Optimo igitur consilio visum est Venerabilibus Fratribus istic Episcopis occasionem huiusmodi oblatam non praetermittere, et auspicati eventus

memoriam, accommodate ad horum calamitates temporum, recolere. — Novimus autem peculiarem quamdam et propriam communis istius faustitatis partem ad vos, alumnos Benedicti Patris, pertinere. Locuples historia testis, industriae et laboribus maiorum vestrorum non postremo tribuendum loco, quod fides catholica altas in gente Hungarorum egerit radices lateque creverit. Itaque probamus admodum, quod iidem sacrorum Antistites datis ad te, dilecte fili, communiter litteris honorificentissimum de ordine vestro iudicium his ipsis diebus fecerunt. Verum recordatio haec vestra domesticarum laudum ne publicae sit utilitatis vacua, magnopere velimus, ut magis magisque benemerendi de religione patriaque studium in vobis acuat. Videtis ipsi quantis invidiae telis obnoxia apud multos sit catholica fides, prorsus ut non minore virtute opus esse videatur ad retinendam, quam olim ad serendam propagandamque fuerit. Quare agite, dilecti filii; et Hungariae, quod vetus instituti vestri ratio postulat, catholici nominis gloriam tueri voce, scriptis, exemplo vitae, quantum est in vobis, contendite. Auspicem caelestium munerum et benevolentiae Nostrae testem, tibi tuisque sodalibus universis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

VICTORI

ARCHIEPISCOPO ALBAE IVLIENSI ET FOGARASIENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Merito quidem te gregemque tuum percipere laetitiam videmus ob saeculum alterum proxime implendum ex quo maiores vestri cum Romana Sede inivere concordiam. Nam tum ipsum factum coniunctionis vestrae nobiscum, tum singularis constantia, qua toto superiore tempore in voluntate dataque fide gens vestra permansit, benignissime vobiscum egisse Deum ostendit, portenditque in posterum acturum. — Opportune autem, ad communem augendam iucunditatem, benevolentiam commemoratis, qua Romani Pontifices nationem vestram iugiter sunt prosequuti. Etenim ab Innocentio XIII ad Nos usque nunquam profecto est desitum, ut benefacta in vos cumulare, ita experiri omnia quae vestrae Ecclesiae splendori et utilitati forent. Auctae Episcoporum sedes: approbatae

Synodi; Fogarasiensis civitas archiepiscopali honore donata; alumnis de gente vestra locus in Urbaniano Collegio datus. Pergite igitur in Romanae Sedis tutela esse, et quam proxime celebritatem habituri estis ita vos confirmet, ut de Rumenorum populo id semper praedicetur, quod Apostolicus Nuntius, anno MDCCCLXVIII ad Decessorem Nostrum perscribebat: eum nempe catholici dogmatis esse retinentissimum et Romanae Cathedrae amantissimum. Id vero ut cedat, addatur laetitiae vestrae Apostolica benedictio, quam, auspicem divinorum munerum, Rumenis catholicis universis paterno affectu impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

THOMAE THEOPHILO EPISCOPO KIELCENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Recepimus litteras, quas tu et clerus ac primores civitatis Kielcensis, vestram testaturi observantiam, ad Nos dedistis. Eas autem non exigua iucunditate perlegimus, ea praecipue de caussa, quod catholici dogmatis apertam amplissimamque professionem vestram exhiberent. Sit porro haec professio nationi vestrae decus interque huius vitae aerumnas subsidium ac solatium. — De paterna Nostra in vos sollicitudine nihil est quod ambigatis; adamamus enim Poloniae gentes, deque earum in religiosa re libertate et cogitamus assidue et apud celsissimum Imperatorem studiose agimus; cuius voluntatem in Polonorum bonum cognitam plane perspectamque habemus. — Quod Sedis Apostolicae angustiis, submissa petriana stipe, consulere volueritis, gratias ex animo

agimus. Testem vero benevolentiae Nostrae et munerum divinorum auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, clero populoque tuo universo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
G. RUEGANBERG MEDICINAE DOCTORI
PRAESIDI COETVS
CONVENTVI CATHOLICORVM BONNAE
PARANDO

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pari semper iucunditate Nobis perfunditur animus, quum nuncium affertur de catholicorum coetu, qui quotannis a vobis, quinquagesimus iam annus est, celebrari consuevit. Nec inde solum laetitiam percipimus quod conventus eiusmodi sunt praeclara catholicae fidei professio; verum plus etiam quod diuturno experimento probatum est, congressus hos vestros amplissimos ferre fructus in sacrae publicaeque rei utilitatem. Hae duae porro sunt caussae cur de proximo Bonnensi coetu quam maxime gratulemur. Nihil enim ambigimus, catholicos qui eo convenient, eamdem allaturos animorum alacritatem, voluntatum concordiam, sententiarum cum Sedis Apostolicae

documentis consensum, quibus superiores coetus laudem et efficaciam sunt assequuti. Tibi, dilecte fili, tuisque sociis qui disponendo coetui praecestis, ominamur amanter ut ex opere vestro coetus ipse digne splendideque eveniat. Universis autem qui in illo aderunt Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, paterna caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IOANNI

ELECTO ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad Franciscum Albertum, tunc temporis Salisburgensium Antistitem, litteras dedimus die IV Martii anni MDCCCLXXXV, quibus Comitiorum Ducatûs istius decretum laudabamus, Lycei magni, istic per duo ferme saecula olim florentis, instaurandi. Eius enim decreti occasione, praestantium virorum coetus est constitutus, qui liberam catholicamque Universitatem studiorum in civitate vestra erigendam curarent: utilissimum sane opus tum rei religiosae, tum publicae. Nunc autem susceptae provinciae nec memorati coetus diligentias defuisse, nec spem fausti exitus deesse libenter novimus. Nam ex data nuper epistola comperire licuit, industriis vestris non mediocrem pecuniae vim operi exequendo fuisse collatam. Ast avet animus rem quantocius perficere. Quamobrem, ad tol-

lendas moras, expeditiorem viam inire vobis visum est: ut videlicet, per universum Austriae imperium, praecipue vero per ecclesiasticas provincias Vindobonensem et Salisburgensem, certam sed perexiguam stipem singuli fideles conferant; qua per quinquennium tributa, ea colligatur pecuniae quantitas, quae par omnino sit operi. — Nos, quibus cordi est summopere Lyceum magnum Salisburgense fundari quamprimum ac dedicari, consilium hoc vestrum expediendae rei probamus plane et commendamus. Venerabiles vero Fratres, praedictarum dioecesium Episcopos, vehementer hortamur ut populum de condendi Instituti utilitate doceant, omnesque excitent ad conferendam pro viribus operam. Tibi autem et universis qui coeptis vestris obsecundabunt Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem ac munerum divinorum auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IOANNI IOSEPHO

ARCHIEPISCOPO DVBVQVENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Commendationem quam pro translatione tua a titulo Damasceno ad sedem Dubuquensem sacrum Consilium christiano nomini propagando Nobis exhibuit, libenter excepimus, eidemque ex animo adhaesimus: compertam enim habemus quum singularem qua praestas ingenii laudem, tum spectatam animi virtutem qua exornaris. Verum episcopale munus te iterum in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis capessentem latere non potest, multis de causis, quas Nos in Nostris litteris ad Cardinalem Archiepiscopum Baltimorensem anno superiore datis attigimus, fidelium pietatem in discrimen vocari, quod ut caveatur, omni sane ope adnitendum est. Duo autem potissimum ingravescentibus malis remedia suppetunt saluberrima: provehere videlicet catholicas scholas, in quibus

puerorum animi christiana disciplina germanaque fide imbuantur; et alumnos sacri cleri ad mores sacerdote dignos et ad scientiam opportunam pietatemque instituere, ut forma dein facti gregis, fidelibus in exemplum praeluceant. Haec te alacriter praestiturum probata voluntas tua certos Nos facit; nec dubitamus quin ad gliscentes istic errores discutiendos et animorum coniunctionem cum hac infallibili veritatis Cathedra fovendam, pro tuo religionis studio sis totis viribus adlaboraturus. Quod ut uberius cedat, Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem, amantissime tibi in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

AL SIGNOR CARDINALE
PIETRO RESPIGHI
NOSTRO VICARIO GENERALE

Signor Cardinale

Già fin dagli esordî del Nostro Pontificato Noi dovemmo additare come uno dei danni più deplorevoli che il mutato ordine di cose portò a questa Capitale del mondo cattolico, l'attivo proselitismo dell'eresia ed il conseguente pericolo a cui veniva esposta la fede del Nostro popolo. E su tale proposito rivolgendoci al Nostro Cardinale Vicario, venimmo ripetutamente impartendo ai fedeli esortazioni, consigli ed avvertimenti, ponendoli in guardia contro i molteplici tentativi, che sètte di ogni genere, venute da estranee contrade, andavano qui facendo, sotto la tutela delle pubbliche leggi, per spargere nelle anime credenti il veleno della negazione e dell'errore.

Ma se da un lato siamo lieti di riconoscere, che la Nostra parola, avvalorata da cure non interrotte, non fu priva di buoni risultati; dall'altro siamo costretti di con-

fessare, che, raddoppiata, pei potenti aiuti che loro giungono dal di fuori, la pertinacia dei nemici della cattolica religione, il male lungi dal diminuire andò aumentando, specialmente in questi ultimi tempi. Ci è quindi necessario, Signor Cardinale, di tornare su questo penoso ed importante argomento, che si connette tanto intimamente coi diritti e coi doveri del Nostro Apostolico Ministero e coll'amore tenero e paterno che portiamo alla Nostra popolazione di Roma.

È ormai noto ad ognuno per l'evidenza dei fatti, che il disegno concepito da sètte eretiche, emanazione multiforme del protestantesimo, è quello di piantare il vessillo della discordia e della ribellione religiosa nella Penisola, ma soprattutto in quest'alma Città, nella quale Dio stesso, con ammirabile disposizione di avvenimenti, fondò il centro di quella feconda e sublime unità, che fu l'oggetto della preghiera rivolta dal nostro Divin Salvatore al suo Padre celeste [1] e che i Papi conservarono gelosamente anche a prezzo della loro vita, e malgrado le opposizioni degli uomini e le vicende del tempo.

Dopo aver distrutto nelle rispettive loro patrie, con discordi ed opposti sistemi, antiche e venerate credenze, che formavano parte del sacro deposito della rivelazione; dopo avere infuso nelle anime dei loro seguaci l'alito glaciale del dubbio, della divisione e dell'incredulità; rovina immensa, che noi deploriamo e compassioniamo

[1] Ioann. xvii, 11, 21.

dal fondo del cuore, ravvisando in tutte quelle creature i figli dell'istesso Padre ed i redenti coll'istesso Sangue: le sètte anzidette si sono introdotte in questa vigna eletta del Signore allo scopo di continuarvi la loro opera distruggitrice e funesta. Nè potendo contare sulla forza della verità, esse traggono profitto, per ispegnere od almeno comprimere nelle anime la fede cattolica, dalla indifesa tenerezza degli anni, dalla insufficienza della coltura, dalle distrette dell'indigenza, dalla semplicità di molti, accessibile alle lusinghe, agli allettamenti, alle seduzioni.

Di fronte a questo fatto, Noi sentiamo, innanzi tutto, il bisogno di dichiarare pubblicamente, come già facemmo altra volta, quanto sia penosa la condizione fatta al Capo della Chiesa cattolica, costretto a rimirare il libero e progressivo sviluppo dell'eresia in questa Città santa, dalla quale deve spandersi in tutto il mondo la luce della verità e dell'esempio e che pure dovrebbe essere la sede rispettata del Vicario di Gesù Cristo. Come non bastasse a corrompere la mente ed il cuore del popolo il torrente di malsane dottrine e di depravazione, che irrompe giornalmente ed impunemente dai libri, dalle cattedre, dai teatri, dai giornali, doveva aggiungersi a tutte queste cause di pervertimento l'insidioso lavorìo di uomini eretici, i quali in lotta fra loro, si trovano solamente d'accordo nel vilipendere il supremo Magistero pontificio, il Clero cattolico e i dommi della Nostra santa religione, dei quali non comprendono il significato e molto meno l'augusta bellezza. Ond'è che i fedeli, i quali da tutte

le regioni, anche più remote, affluiscono peregrinando in Roma per trovarvi conforto alla loro pietà ed alla loro fede, debbono rimanere profondamente rattristati nel vedere invaso questo suolo, bagnato dal sangue dei martiri, da sètte di ogni specie, intente unicamente a svellere dall'anima del popolo quella Religione, che pur venne dichiarata religione dello Stato, e che forma l'oggetto precipuo del loro amore e del loro culto.

Ella comprenderà facilmente, Signor Cardinale, quanto siffatto stato di cose sia doloroso al Nostro cuore e quanto vivo il Nostro desiderio di vedere adottati opportuni rimedî, che valgano, se non a togliere interamente il male, almeno a mitigarne la gravità e l'asprezza. Ed è perciò che Ci furono di non lieve conforto la fondazione di un'Opera egregia, a cui Noi stessi demmo ispirazione ed impulso, che si intitola dalla Preservazione della Fede, e più ancora i soddisfacenti risultati ch'essa ha incominciato ad ottenere mediante lo zelo infaticabile di quei che la dirigono e che ne fanno parte.

Noi vogliamo, Signor Cardinale, contando sulla sua nota e solerte operosità, che quest'opera salutare, tanto adatta al presente bisogno, si sostenga, si rafforzi e si propaghi fino a costituire una difesa efficace e gagliarda contro l'indicato pericolo. Ad essa deve arrecare un valido e costante appoggio, in primo luogo il Clero parrocchiale di Roma, quel clero laborioso, zelante e modesto, al quale incombe principalmente la cura e la responsabilità della salute delle anime; ad essa deve pure aggiungere vitalità,

forza ed estensione il laicato cattolico di questa città, il quale è sempre pronto ad apportare il suo intelligente e caritatevole concorso ovunque lo richieda l'interesse della religione e il bene morale e materiale del prossimo.

A tutti poi sia cura di corroborare il carattere del popolo cattolico, ispirandogli nobili e santi propositi e prevenendo in pari tempo gl'incauti, che sotto le innocue apparenze di convitti per giovinetti, di educatorî per fanciulle, di scuole di lingue estere, di aumento di coltura, di sussidî a famiglie indigenti si cela il reo disegno di insinuare nelle menti e nei cuori le massime riprovate della eresia. Che tutti i fedeli sieno penetrati di questa verità, che nulla vi può essere di più grande e di più prezioso che il tesoro di quella fede, per la quale i loro padri affrontarono impavidi, non solo privazioni e miserie, ma spesso persecuzioni violente e la stessa morte. E tale sentimento di fortezza non può essere che naturale e profondo nell'animo di questa Nostra popolazione, la quale ben sa, che la Chiesa cattolica non solo possiede note divine, che la distinguono come l'unica vera, l'unica che ha ricevuto le promesse di vita immortale; ma ha pure versato, in ogni tempo, beneficî incomparabili su Roma, sull'Italia e sul mondo; domando la barbarie con la giustizia delle leggi e la mitezza dei costumi; estendendo, come ben dice san Leone Magno [1], il dominio della pace

[1] Serm. 1, in Natali sanctorum Petri et Pauli.

cristiana molto al di là dei confini esplorati dalle aquile romane; salvando le lettere, le biblioteche, la coltura, i monumenti; ispirando ogni ordine di scienze e di arti; venendo in aiuto dei deboli, dei poveri, degli oppressi colla generosità degli affetti e colla magnanimità del sagrifizio e dell'eroismo.

Nutriamo pertanto fiducia che niuno dei romani, che sono i figli più privilegiati della Chiesa cattolica, vorrà mai, per qualsiasi umano interesse, separarsi da questa madre tenerissima, che dopo averlo partorito alla grazia, non ha cessato di circondarlo colle sue affettuose sollecitudini: come siamo altresì persuasi che quei generosi cattolici, i quali fondarono e promossero l'opera mentovata della Preservazione della Fede, non si daranno nè tregua nè riposo finchè può pericolare la salute eterna anche di un'anima sola, mostrando così col fatto, che se i nemici della religione sono più potenti per copia di ricchezze, essi li vincono per l'ampiezza della carità.

Auspice intanto del divino favore per ben condurre la gravissima impresa, impartiamo di tutto cuore a Lei, Signor Cardinale, ai Promotori della pia Opera e a quanti la favoriranno l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano li 19 Agosto 1900.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

ELIAE PETRO

PATRIARCHAE ANTIOCHENO MARONITARVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam alte in Maronitarum gente radices egerit ac porro viguerit reverentia atque amor erga Apostolicam Sedem assidua praeteritarum aetatum testimonia demonstrarunt. Quamobrem iucundum quidem, non tamen mirum accidit quod tres nuper Episcopos ad Nos legaveris, qui litteras a te redderent obsequii plenas, et stipem offerrent, pietatis testem, ab universis collatam qui Libanum incolunt. Quem vero animum in Maronitarum Ecclesiam Nos vicissim geramus, ostendimus sane quum alumnis de gente vestra patere in Urbe sedes voluimus, aedibus aere Nostro coëmptis, ubi sacris imbuantur disciplinis apteque ad sacerdotium educentur. Id Nos institutum, pignus perpetuum benevolentiae eius, qua vos prosequuti sumus, carere effectibus providentiae Nostrae non permittemus. Quin his

ipsis diebus redditus eius augendos voluimus, atque ita auximus, ut alumnorum numerus duplicari fere in posterum queat. Cuius expediendae rei sacro Consilio christiano nomini propagando negotium dedimus. Tibi interea, Episcopis et clero, nec non populo Maronitarum universo Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOANNI BAPTISTAE PAGANVZZI COM.

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad catholicorum conventum vobis proxime in Urbe celebrandum Noster festinat animus, malis fatigatus ruentis in exitum saeculi, cuius varie agitatum cursum pene totum, Deo sic volente, conspeximus. Recreat enim eorum cogitatio, quae ab Instituti vestri exordiis huc usque per vos acta sunt feliciter ad Religionis tutamen patriaeque salutem in gravi christianae reipublicae discrimine; quae quidem non habent solum praesentis laudis testimonium, sed auspicium etiam futurae utilitatis. Causam dudum complexi estis Nobis et bonis omnibus gratissimam, cuius in dies acrius tuendae, non modo Decessor Noster Pius fel. rec. PP. IX, sed Nos ipsi auctores fuimus, qui operis vestri praestantiam Apostolicis litteris saepe comprobavimus. Latior autem virtuti industriaeque vestrae patebit campus hoc expiabili anno, e conspicuo profecto loco,

ubi consilia de certis haud parvi ponderis negotiis estis habituri. Ex hac enim Urbe principe, tamquam ex arce mundi, clarius obversantur oculis multa, quae cogitanda vobis et apprime curanda videantur. Singulis igitur his in rebus naviter prudenterque tractandis nervos omnes contendetis, quos pluribus acuere verbis supervacaneum ducimus, rati non opus esse incitare currentes. Verum, quemadmodum in bene instructa acie non satis est ducibus milites habere ad praeliandum paratissimos, nisi dicto audientes iisdem sint, ita consociationis ratio, probe ac sapienter instituta, disciplinam singulorum concordiamque requirit. Magna enim vis est voluntatum in unum et idem conspirantium, diuturnoque usu comprobatur vetus illa sententia: « Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur ». Quamobrem haud mediocrem rem actam arbitremini, si, opera vestra, quicumque pro optima causa in Italia militant ordines, id est catholicae consociationes, vel etiam privatim agentes, Ecclesiae pastorum auctoritatem vereri solemne habeant; si, remotis contentionibus, coetui vestro adhaereant, non specie tenus aut nomine, sed re in usum deducta, vosque, compacta veluti phalange, sectentur; si denique coniunctis viribus, studiis, voluntatibus, iure sibi usurpare possint Pauli Apostoli verba: « Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus ». Haec vobis documenta etsi alias iam dedimus, iteranda tamen esse censuimus hoc maxime tempore, quo, aestuantibus animis, ipse ardor agendi nonnihil docilitati facile detrahit, sine qua nulla potest

esse sancta societas. In causam igitur incumbite, qui in Ecclesiae subsidium vocati estis; flos catholicae Italiae, egregium immotae in Pontificem fidei retinete nomen, quod initio adscivistis, edituri fructus tali appellatione dignissimos. Ac fundamenta quidem iacta erunt totius operis, quum de vobis omnibus gloriari liceat Apostoli verbis: « Vestra obedientia in omnem locum divulgata est ». — Quo autem omnia prospere atque e sententia cedant, instate precibus apud clementissimum Deum ut afflictis Ecclesiae rebus ipse prospiciat, haud praetermittentes coetui vestro adprecari Beatissimae Virginis patrocinium, quae Sedes sapientiae appellatur et Mater boni consilii.

Interea, paternae Nostrae benevolentiae testem eamdemque caelestium munerum auspicem, Apostolicam benedictionem, tibi, dilecte fili, et sodalibus universis catholicae consociationis vestrae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Augusti MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ALPHONSO PETRO FAVIER
EPISCOPO TITVLARI PENTACOMIENSI
VICARIO APOSTOLICO PEKINENSI
PEKINVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Te sane meminit quanta animi iucunditate te Romam venientem, hoc ipso exordiente anno, exceperimus. Quum vero de statu catholicae rei in Sinarum Imperio narrabas deque spe proferendae latius in dies christianae veritatis, micare cor laetitia sensimus, tecumque plurimum gratulabamur. Quae tum mens imminentes turbas praeciperet, quibus sacrorum aedes depopulatae, sacerdotes ac fideles fugati et fusi, luctu et cruore completa omnia? Haec Nos dum quotidianis nunciis comperiebamus, moereri penitus; graviorumque malorum formidine trepidi, Deum enixissime precabamur ut tristia adeo mutaret mitibus, et florentibus Sinarum ecclesiis excidium caveret. Episcopis

quibusdam egregiis ferro extinctis, sors etiam tua sollicitos Nos vehementer habebat. At quoniam, tegente Deo, te salvum et incolumem cognovimus, placet paterna caritate laetari tibi ac meliora adprecari, quae Nostrum tuumque animum, pro perlatis acerbitatibus, recreent. Haec tu sensa cum iis communices, qui tecum in inferendo istis gentibus Evangelio adlaborant; quorum tot fratrum ac fidelium casum non animos incidere sed obfirmare oportet, eius praemii spe ac fiducia, quo iam illi feliciter potiuntur. Tibi interim, clero ac fidelibus tibi creditis Apostolicam benedictionem, testem benevolentiae Nostrae christianaeque fortitudinis auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
CAIETANO ZOCCHI
SODALI E SOCIETATE IESV

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iamdiu te consuevimus in egregiis numerare viris, qui doctrina ingenioque praediti perutilem catholicae veritati edicendae tutandae dant operam. Existimare proinde debes, valde Nobis grata accidisse, quae nuper dono accepimus, conscripta a te volumina. Haec enim videntur commode conferre posse, ut sanctissimae sit religionis in populo et notitia plenior, et defensio instructior. Verum perge, dilecte fili; et quoad dicendo scribendo potes, optimum persequi propositum ne intermittas. Auspicem caelestium munerum, et benevolentiae Nostrae testem, accipe

Apostolicam benedictionem, quam tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

AMEDEO ROSSI, FRANCISCO CODEGLIA

IVLIO CAESARI DE ROSSI

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Catholicorum haberi coetus nunquam Nobis non utile visum est maximeque opportunum tempori: quare illos, dum agerentur, laude saepe, benevolentia semper prosequuti sumus. — At iuvenes, qui maioribus disciplinis dant operam, in conventum coire, neque ex Italia solum sed ex aliis undique gentibus, sicut nunc primum contigit, ita peculiari quadam praeterque modum iucunditate Nos afficit. Quamobrem et vobis, dilecti filii, qui coetum disposuistis, et universis qui in illo intersunt gratulationem Nostram profiteri libet: quam, ut non verbis modo sed re testaremur, placuit Venerabilem Fratrem Nostrum Lucidum Mariam Episcopum Portuensem destinare, virum omnigenae doctrinae egregiaeque prudentiae, qui et conventum vestrum praesentia cohonestet et agitandarum

rerum sit auspex et moderator. — Ceterum Nos ipsi, dilecti filii, videmur vobis adesse, quum sedem coetui vestro in hac urbe Nostra elegeritis. Quod quidem quam opportune sit factum, omnibus in promptu est. Hic enim centrum et caput est catholicae Ecclesiae; hic eius cathedra, qui Christi vices in terris gerit; et quamvis insolescentium hostium vis adversatur, hinc opus est humanitatis verae ac sapientiae haurire latices, unde, historia teste, in gentes universas manarunt primum. — Quae porro vobis discutienda proposuistis, digna profecto sunt quae probentur. Illud tamen prae ceteris studio vestro commendatum volumus, quod primo loco scripsistis; ut videlicet in vobis collegisque vestris firmitas fidei, castimonia morum, propositorum constantia promoveatur. Scitis namque christianis officiis non satis esse *corde credere*, nisi etiam *ore fiat confessio ad salutem;* scitis *non habitare* sapientiam *in corpore subdito peccatis.* Ubi autem fides integra integrique mores, ibi fortitudo est animi ac propositi tenax voluntas. — Haec ut cedant, auspicem divinorum munerum et paternae Nostrae caritatis testem, Apostolicam benedictionem coetui universo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VENERABILI DEI FAMVLO

ANTONIO GRASSI

BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ecclesiae catholicae nunquam defuerunt sollertes ac navi sacrorum administri qui christiana erga proximos caritate inflammati, studio industriaque usi sunt ut pueros divinae doctrinae praecepta edocerent et ad Evangelii leges erudirent. Ad hanc Almam Urbem quod attinet, insident penitus in memoria hominum, et nulla unquam delebit oblivio, res gestae atque acta Philippi Nerii, quem iure meritoque alterum Patronum caelestem sibi Quirites adsciverunt. Vir sanctissimus, pietate et virtute iam insignis, dicitur nonnihil temporis atque operae dedisse nugis ineptiisque quibus aetas puerilis delectari maxime solet, et cum iam grandis natu esset atque aetate provectior

cum pueris solitus esse quodammodo repuerascere ut eos nimirum ad se provocaret, ingenuosque animos a facetiis iocisque ad seria facilius veritatemque traduceret. Postquam ille in caelum evolavit, excitatores et magistros probe peritos in Congregatione Oratorii ab eo conditi catholica Ecclesia omni quidem tempore nacta est, qui patris sui legiferi animum gerentes mirabili instantia atque industria adolescentium ingenia ad religionem et ad virtutem instituerunt ut in iis laus revivisceret morum optimorum. Huiusce Congregationis egregie de Ecclesia meritae fuit saeculo decimo septimo immortale decus atque ornamentum Venerabilis Dei servus Antonius Grassi, qui Philippi patris ac praeceptoris sui ita omnes sanctimoniae laudes est consequutus, ut eius aemulator potius quam imitator extiterit. — Firmii natus est anno christiano MDLXXXXII die XIII Novembris mensis, genitoribus Vincentio et Francisca Paccaroni ex nobili genere, qui partum a maioribus decus studuerunt non tam amplitudine bonorum quam pietatis laude retinere. De infantia eius ac prima pueritia id constat, ex toto corporis habitu, ac praesertim ex fronte oculisque egregiam emicuisse animi indolem. Pietatis igniculi, qui in cereo ad virtutem flecti pueruli animo ab optimis parentibus excitati sunt, illi postea nec voluptatum illecebris fuere nec perniciosis fluxarum rerum blandimentis restincti. Ubi e pueris excessit, accepta virtutum documenta expressit moribus integris; pietatis enim studio, innocentia vitae, obedientia et virtutum omnium custode verecundia, inter aequales suos ad exemplum enituit. Ubi

ad annum quintum supra decimum pervenit, tantum in se pietate et omni genere virtutis excolendo profecerat, quantum adulta eius sanctitas deinceps declaravit. Summa erga Deum officia, quae semper praestitit, germanam in proximos caritatem incenderunt, quam ut melius tueretur, atque aleret, se totum Deo in Congregatione Oratorii, recens a Nerio instituta, tradere planeque devovere constituit. Firmii igitur in patria, anno reparatae salutis MDCIX, expugnato tandem reclamitantium parentum animo, Congregationi Oratorii nomen suum dedit, posuitque in pia civitatis illius domo alacer tirocinium. Tum Venerabilis Dei famulus non vestes tantum, sed Congregationis Oratorii spiritum induit; a primis enim tirocinii mensibus regularis disciplinae observantissimus, obedientiae simul ac mansuetudinis et comitatis laude floruit. Paupere usus supellectili, humilique ac dimisso sed ad Philippi patris exemplum iugiter mundo habitu, in theologicis studiis ac philosophicis disceptationibus magnos brevi progressus nactus est, probe ratus ecclesiasticis viris plurimas Deo animas lucrifacere cupientibus sapientiae lumen omnino esse necessarium. Sed doctrinam cum humilitate sociavit, eamque in christianae fidei bonum ponendam censuit non in studia vanitatis. Summo in Deiparam Virginem ferebatur amore; saepe Lauretanum Sanctuarium peregre invisit, ibique magnum vitae discrimen subiit. Nam anno MDCXXI die quarta Septembris mensis dum intra Sanctae Domus parietes genibus flexis orationi vacabat, repente fulmine tactus et humi provolutus non nisi praesenti Dei ope

combustis tantum vestibus evasit incolumis. Almam hanc etiam Urbem petiit peregrinus anno Iubilaei MDCXXV et tum in sacris Apostolorum liminum aliarumque Basilicarum visitationibus tum in Martyrum cryptis tum ante sepulchrum desideratissimi patris ac fundatoris sancti Philippi luculenta exhibuit fidei pietatisque testimonia. Patriam urbem regressum et iam sanctitate spectatum, licet invitum, eum Firmiani Oratorii patres ad domus illius Superioris gradum evexerunt, eaque in dignitate Venerabilis Dei servus Antonius se tam sancte gessit, ut iidem patres non alium, donec vitam ipse vixit, moderatorem passi sint, eumque iuxta tabulas instituti, exacto triennii spatio, in aliud iugiter grato quidem lubentique animo confirmarint. Antonii enim regimen non religiosis tantum viris sed etiam saecularibus fuit acceptum: quippe summa in eo caritas; et prudentiae simul liberalitatis consiliique praestantissimis dotibus florebat. Angelus pacis iure appellatur, innumerae enim industriâ ipsius simultates sunt compositae. Debiles confirmare, inscios edocere, detentos in publicis vinculis invisere, devios ad virtutis semitam revocare, puerorum atque adolescentium animos ad studia pietatis allicere id semper in deliciis habuit. Aegrotis ac vitam agentibus, somni ac laboris immemor, dies noctesque residebat; plures continentes horas in exedra piaculari fidelium confessionibus excipiendis quotidie insumebat. Patris etiam pauperum nomen obtinuit, suas enim quoque vestes egenis diribere non dubitavit. Hae singulares Venerabilis Dei famuli virtutes caelestibus cumulatae signis,

prophetiae enim et cordium scrutationis dono enituit, summam illi diuturnae vitae curriculum agenti penes proceres, praesules, purpuratos patres ac Decessores etiam Nostros Romanos Pontifices existimationem conciliarunt. Clemens X et Venerabilis Innocentius XI Pontifices summae laudis praeconiis Antonium sunt prosequuti. Caesar Facchinetti, Nicolaus Ludovisi, Carolus Gualtieri, Decius Azzolino, Ioannes Nicolaus Conti, Iacobus Nini, Bernardinus Rocci, Stephanus Augustini, Opicius Pallavicino aliique plures S. R. E. Cardinales virtutes illius ac vitae acta mirifice celebrantes eum tamquam verum Philippi Nerii aemulatorem praedicarunt. Accesserunt iis Antistites Sacrorum ac fere innumeri dignitate ac religione insignes viri ad ipsum confluentes ut preces ab eo et caelestis sapientiae consilia exquirerent. Quin imo, Italiae fines praetergressa, Germaniam etiam Venerabilis servi Dei sanctitatis fama pervasit. Ipse autem vir iustissimus, in actuosa ac frugifera ecclesiastici ministerii exercitatione, in virtutum omnigenarum cultu, innocens sicut puer et aequo semper animo vultuque hilari ad extremos usque annos mortale aevum produxit, donec meritis simul et annis gravis iamque octuagenarius, praenuntiato mortis suae tempore, diuturni morbi cruciatus constanter perpessus, die XIII Decembris mensis anno MDCLXXI placidissimo exitu in Domino obdormivit. Vix supremas scanderat sedes, sanctitatis eius fama magis magisque in dies insonuit ob multa quoque prodigia, quibus Deus ipsam confirmasse ferebatur. Quapropter eius Beatificationis Causa apud

sacrorum Rituum Congregationem promoveri coepit; atque probationibus iuridice sumptis riteque expensis, fel. rec. Clemens PP. XIV Praedecessor Noster Venerabilis Antonii virtutes heroicum attigisse culmen decrevit Calendis Aprilibus anno MDCCLXX. Inita deinde actio est de miraculis ad eius nominis invocationem a Deo patratis, omnibusque de iure absolutis, Nos, de duobus miraculis eius intercessione a Deo effectis, per decretum pridie Idus Novembris anno MDCCCXCIII datum, constare sancivimus. Illud porro supererat ut de altarium honoribus eidem Venerabili Antonio tuto decernendis dubium discuteretur, quod cum propositum esset a dilecto filio Nostro Caietano S. R. E. Presbytero Cardinali Aloisi-Masella, tunc sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, loco et vice bo. me. Cardinalis Angeli Bianchi Episcopi Praenestini causae Ponentis, in plenario ipsius Congregationis coetu ad Vaticanas aedes coram Nobis IV Calendas Decembres eiusdem anni MDCCCXCIII habito, singuli tum Cardinales tum patres consultores qui aderant, unanimi consensu, affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Dominica vero prima Quadragesimae insequentis anni MDCCCXCIV, pacis Hostia oblata, accitisque memoratis Cardinalibus Caietano Aloisi-Masella et Angelo Bianchi bo. me., tuto procedi posse decrevimus ad solemnem Venerabilis Dei Servi Antonii Grassi Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos moti precibus universae Congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii, auctoritate Nostra

Apostolica, harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei famulus Antonius Grassi, Presbyter e Congregatione Oratorii sancti Philippi Nerii, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lypsana, non tamen in solemnibus supplicationibus deferenda, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa celebretur singulis annis de Communi confessorum cum orationibus propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Firmana atque in ecclesiis omnibus et sacellis, quibus ubique terrarum utitur Congregatio Oratorii sancti Philippi Nerii, ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus qui horas canonicas recitare teneantur. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Dei famuli Antonii Grassi in dioecesi ac templis supra dictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus diebus per Ordinarium designandis intra annum postquam eadem solemnia in Patriarchali Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur

quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die VIII Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

L. ✠ S.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO

G. BILLECOCQ SODALI SVLPITIANO

PARISIOS

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Apostolicis litteris, die XXII Augusti MDCCCXCVII datis, Archisodalitatem ereximus precum ac piorum operum pro reditu Britanniae ad fidem catholicam, sub patrocinio Beatae Mariae Virginis Perdolentis. Memores autem studii, quo Ioannes Olierius, Congregationis Sulpitianae auctor, flagravit reconciliandae Angliae cum Romana Ecclesia, eamdem Archisodalitatem in Aedibus Sulpitianis constituimus et Moderatori supremo Sulpitianorum regendam ac propagandam tradidimus. Spem quidem Nostram in vestro Instituto iure recteque collocatam fuisse exitus abunde comprobat. Ex epistola enim, quam nuper a te accepimus, magna animi iucunditate cognovimus in perdolentis Virginis sodalitatem quamplures ubique gentium cooptatos esse ac cooptari. Hic autem catholicorum ardor,

optatis Nostris obsecundantium, ne porro desideat sed augeatur, visum vobis est commentarios pluries in anno edendos suscipere, in quibus Sodalitatis dignitas illustretur eiusdemque progressus narrentur. Opportunum sane opus et maximae utilitatis. Cuius cum tibi, dilecte fili, cura sit demandata, gratulamur tibi et coeptis secunda ominamur. Ne vero desint subsidia caelestia, quae labores tuos fecundent, horum auspicem et benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem tibi tuisque adiutoribus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE TRANSLATIONE CORPORIS SANCTI AVGVSTINI
AD BASILICAM SANCTI PETRI
IN CAELO AVREO CIVITATIS PAPIENSIS

—

LEO PP. XIII

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Venerabilis Frater Augustinus Episcopus Papiae una cum dilectis filiis Eremitis Ordinis sancti Augustini Papiae consistentibus supplices Nobis preces nuper admovit, ut mortales sancti Augustini reliquiae ad instauratam refectamque sancti Petri in caelo aureo Basilicam, pristinum requietis locum, facta a Nobis facultate, transferantur. Id vero ne ipsi temere efflagitare videantur, totam sanctarum exuviarum historiam retexunt, quam placet Nobis summatim attingere. Quum itaque beatus Augustinus Ecclesiae Doctor, e corporis vinculis tamquam ex carcere evolavit, cacloque potitus est, Hippone in ecclesia Cathedrali, Deo sacra in honorem sancti Stephani protomartyris, corpus a discipulis peramanter est compositum, ubi diuturna in pace conquievit. Sed quum Trasamundus, Vandalorum Rex arianus, crudeli contra catholicos homines excitata

persecutione, Fulgentium Episcopum Ruspensem et cum eo quamplurimos Episcopos, Presbyteros, Clericos, Monachos aliosque christianos ex Africa in proximam Insulam Sardiniam commigrare atque exulare iussisset; illi ne tantus thesaurus in rapaces adversariorum manus veniret, Augustini corpus aliasque sanctorum reliquias in Sardiniam secum transvexerunt. In eà annos circiter ducentos et viginti beatae illae exuviae prodigiis claruerunt, quibus et fama sanctitatis optimi Antistitis, et veritas reliquiarum est probata et confirmata. Cum autem haud multo post ingens atque effera Saracenorum multitudo Sardiniam pervaderet, atque, ut mos erat eorum, omnia vastatum iret, et ipsum sepulchrum sancti Augustini violaret, Luitprandus, Longobardorum Rex pientissimus, ob singularem quo ferebatur in Augustinum amorem, viros primarios gentis suae magna cum auri argentique vi mox Sardiniam in insulam transmisit, sancti Doctoris corpus pretio redempturos. Legati Longobardi rem, quam curari ab ipsis Rex voluerat, optime gesserunt, et sanctis exuviis navigio impositis unius diei ac noctis spatio, sospite cursu, Ianuam pertingunt. Quo nuntio nuntiato Rex ipse, cum optimatibus et viris Principibus, cum omnibus regni Episcopis et universo clero usque ad fines agri Derthonensis processit, positisque regiae dignitatis insignibus, magna animi submissione pronusque in obsequium sacras Reliquias, tamquam oblatum sibi Dei munus, est veneratus. Vere dici poterat de Augustini corpore « ossa eius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt »: multa enim fuerunt

portenta et prodigia, quibus voluit Deus famuli sui mortales reliquias illustrare. Simul ac Regis adventus cum sanctis spoliis in Urbe Ticinensi est nuntiatus, tota civitas prope convulsa sedibus suis ad suscipiendas complectendasque Augustini exuvias obviam sese effundit, hymnos et cantus solvit, ea laetitia gestiens, qua, si Rex confecto bello ex hostibus formidolosis triumphum ageret. Papiae in templo sancti Petri in caelo aureo Luitprandus Augustini reliquias composuit, in eo nimirum templo quod, a parentibus suis olim fundatum et dotatum, ipse munifice instauraverat, excoluerat, continenti monasterio et redditibus liberaliter auxerat. Ibi usque ad annum christianum millesimum sexcentesimum nonagesimum quintum beatissimum corpus, oculis quidem christianorum subductum sed miraculorum fama illustratum iacuit, cum civium, tum externorum veneratione cultuque celebratum. Verum eo ipso anno feliciter repertum, et post longum iudicium et diuturnas investigationes et a Francisco Episcopo Papiensi et a Decessore Nostro Benedicto XIII anno MDCCXXVIII recognitum, sub ara maxima eiusdem templi, ad Basilicae Minoris dignitatem evecti, illustri decorata monumento, requievit. Deinde Basilica ob vetustatem fatiscente, ac prope collapsa, prius in templum Iesu nomini sacrum, postea in Basilicam Papiae Cathedralem anno MDCCXCIX rite translatum est. Ibidem anno MDCCCXXXII, auctore Episcopo Aloisio Tosi, aedicula extructa est, in eaque marmoreum monumentum, quod in honorem Patris sui Legiferi Ordo Eremitarum sancti Augustini affabre perficiendum

curaverat, quodque hominum iniuria, iniuriaque temporum et rerum disiectum erat, repositum est: inde anno insequenti, auctoritate et iussu Pontificis Maximi Gregorii XVI Decessoris Nostri, sanctae Augustini reliquiae denuo recognitae et confirmatae, ex veteri cupressina in novam urnam aere inaurato conflatam sub instaurato monumento collocatae sunt. Anno autem MDCCCLXXXIV hodiernus Antistes Papiae, nactus occasionem instaurationis Basilicae Cathedralis, ob quam sancti cineres et ossa suo loco removeri debuerunt, impetrata a Nobis venia, tum authenticam inspectionem et recognitionem confecit, tum urnam argenteis ornamentis, conferente etiam sumptum Capitulo Cathedrali, decoravit. Quum vero nunc vetustissima Basilica sancti Petri in caelo aureo, olim labefactata et pene eversa, ad pristinam firmitatis speciem sit revocata, et catholico cultui restituta, et cum Eremitae Ord. sancti Augustini continentis Monasterii suo quodam iure Reliquias Patris sui Legiferi reposcant, et Venerabilis Frater Episcopus Papiae consilio suo ac prudentia omnia caverit et omnia providerit, ut sancti Doctoris lipsana convenienter pristino sepulchri loco restituantur. Nos libenter sinimus, ut ille sacrarum exuviarum thesaurus in Basilicam sancti Petri in caelo aureo transferatur. Quapropter Apostolica potestate Nostra, per praesentes litteras, servata semper apud Nos et hanc Apostolicam Sedem auctoritate earumdem reliquiarum, ita ut nemini hominum eas surripere et possidere ius sit, facultatem facimus, sacras beati Augustini Pontificis et Doctoris reliquias a Cathedrali templo

ad refectam et restitutam sancti Petri in caelo aureo Basilicam transferendi. Volumus tamen et Apostolica auctoritate Nostra decernimus, ut Basilica sancti Petri, quae Ordini Eremitarum sancti Augustini cum exemptione huic Ordini concessa committetur, id habeat oneris, ut Curioni urbanae ecclesiae sanctae Mariae de Monte Carmelo fas sit eam adire, ut inde Ssmum Viaticum ad proximos Parochianos aegrotos deferendum accipiat; ut translatio sacrarum Reliquiarum declaretur concessa ea conditione, qua, si forte Basilica sancti Petri in caelo aureo cultui subtrahatur, vel Eremitae Ordinis sancti Augustini inde gravi qualibet causa secedant, iterum illae ad Cathedralem Basilicam reducantur; ut sacri eiusdem thesauri, qui tribus clavibus custodiri assolet, clavem unam ipsi Religiosi Eremitani habeant; alteram Episcopus cum Capitulo Cathedrali; tertiam magister seu praeses municipii Papiensis, id quod Benedictus XIII Pontifex Maximus largitus est: ut Episcopo et Capitulo Cathedrali ius asseratur accedendi collegialiter quotannis ad Basilicam sancti Petri, ut ibidem solemnis in honorem sancti Augustini Missa peragatur; ut demum Episcopus pro tempore, quoties publica aliqua causa aut occasio se offerat, ad eamdem Basilicam vel dioecesanas peregrinationes decernere, vel ipsemet se conferre ob sacram aliquam functionem solemnem possit. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus plenissime suffragari, sicque

in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque, speciali licet et individua mentione ac derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apùd S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XIV Septembris MCM. Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

A. CARD. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
NOVVS INDEX GENERALIS LIBRORVM PROHIBITORVM
AVCTORITATE APOSTOLICA APPROBATVR
ET CONFIRMATVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, quibus grande illud munus in beato Petro Apostolorum principe commissum est, universum pascendi Christi gregem, toti in eo constanter fuerunt, ut pretiosissimum fidei depositum integrum inviolatumque servarent, et christianas toto orbe gentes salutaris doctrinae pabulo enutrirent. Hinc profecto vehemens illa ac provida ab ipsis adhibita perpetuo cura, ut, quemadmodum bonum semen a lolio, ita et sani optimique libri ab adulterinis et apocryphis et perniciosis secernerentur; ne christiani homines, incauto vel temerario horum usu, integritatis fidei morumque detrimentum caperent. Quo in genere, varia quidem pro varietate temporum tum Pontifices ipsi, tum Concilia, nunquam neglexerunt apta

malis adhibere remedia. Quum vero, comperta, saeculo decimo quinto, nova arte typographica, magis in dies crevisset librorum copia, praetereaque malarum haeresum pestis late grassaretur, necessarium omnino visum est, qua praecavendis periculis, qua reparandis mature damnis, in prave scripta acrius animadvertere. Itaque Concilii Tridentini Patres, ad quos Pius IV praedecessor Noster id negotium remiserat, ingenti librorum sive haereticorum, sive de haeretica pravitate suspectorum, sive pietati moribusque nocentium contagioni, duplici esse ratione occurrendum existimarunt. Ac primo quidem, eiusdem Synodi auctoritate lecti ad id praesules et theologi generales quasdam condidere regulas, ut nimirum facilius dignosci posset a quibus generatim libris fideles cavere oporteret; tum vero accuratum atque absolutum librorum improbatae lectionis elenchum seu indicem exararunt. Quem indicem una cum memoratis regulis, quum peracta Synodo, ex ipsius decreto, Pio IV praedecessori Nostro exhibitus fuerit ut ne antea ederetur quam Apostolicae auctoritatis robur acciperet, summa diligentia denuo excussum idem Pontifex approbavit et ab omnibus observari iussit. — Res tamen ipsa ferebat ut eiusmodi Index, novis editis decursu temporis pravis perniciosisque libris, nova additamenta requireret: idque sane ab Apostolica Sede iterum iterumque assidua cura perfectum esse neminem latet. Ita quidem Clemens VIII, ac deinceps Alexander VII et Benedictus XIV praedecessores Nostri Indicem ipsum, insertis iis libris quos postmodum Summi Ponti-

fices vel per litteras Apostolicas vel per Romanas Congregationes, praecipue Inquisitionis atque Indicis, proscripserant, in meliorem aptioremque formam redactum, quasi innovarunt. Quum vero a Benedicti XIV praedecessoris Nostri pontificatu maximo longa iam aetas, centum quadraginta fere annorum, effluxisset, maius quiddam atque efficacius res ipsa postulare videbatur. Non solum enim complura hoc temporis intervallo damnata fuerant prave scripta, sed non pauci etiam errores ac mendae in Indicem ipsum irrepserant. Itaque, quod in votis etiam fuisse perspectum est multorum Patrum Vaticanae Synodi, manum huic Indicis emendandi perficiendique operi admovendam duximus. Ac primo quidem regulas, quas e mente Concilii Tridentini Pius IV praedecessor Noster constituerat, aliquanto molliores efficere, easdemque tempori accommodare decrevimus: idque sane perfecimus Constitutione Apostolica *Officiorum ac munerum,* edita die XXV Ianuarii anni MDCCCXCVII. Quod vero ad Indicem spectat, eum diligentissime recognosci, e mendis purgari, atque ita disponi ordinarique iussimus, ut tota eiusdem ratio cum regulis seu decretis generalibus apprime congrueret. Eiusmodi negotium, sane laboriosum, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi Indicis librorum prohibitorum praepositis demandavimus, qui, doctis aliquot accitis in operis subsidium viris, rem totam alacri assiduoque studio ita perfecere, ut novus Index ceteris iis qui praecesserunt non solum longe emendatior appareat, sed et expeditioris usus, omissis libris non ita

paucis, quorum proscriptio, olim necessaria vel opportuna, hodie vix non inutilis evasit.

Huiusmodi igitur librorum prohibitorum generalem Indicem, iussu Nostro recognitum et emendatum, ac typis vaticanis impressum, quem tamquam litteris hisce expresse insertum haberi volumus, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, atque ab omnibus ubique locorum integre et inviolabiliter observari praecipimus, sub poenis in Constitutione Nostra *Officiorum ac munerum* sancitis. Mandantes omnibus locorum Ordinariis, itemque regularium quorumcumque superioribus, omnibusque aliis ad quos spectat, aut in futurum spectabit, ut eumdem Indicem vulgandum et observandum pro viribus curent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XVII Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
E TERTIO FRANCISCALIVM ORDINE
QVI ROMAM HABITVRI COETVM CONVENERVNT

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In Tertium Franciscalium Ordinem adlecti iamdiu, quo illum loco haberemus quantoque studio prosequeremur, ad gerendum Pontificatum maximum vocati, multimodis patefecimus. Et iure quidem: persuasum etenim semper habuimus, institutum hoc Francisci Patris, si rite recteque vigeat, malis iis medendis natum esse, quibus maxime consociatio hominum aetate nostra laborat. Quamobrem, ut ad disciplinam eius christianae ubique gentes frequentiores confluerent, leges, quibus regitur, suavi temperatione molliendas duximus; alumnos vero primi Ordinis atque adeo sacrorum Antistites hortati impense fuimus, ne eidem promovendo industriis curisque deessent. — Hic autem conventus vester, quem Roma secundis auspiciis excipit, spes Nostras ac diligentias non irritas fuisse

probat: de quo profecto et vobis gratulandum, et gratiae agendae Deo bonorum omnium largitori. Quia porro progredientis feliciter operis securitati prospicere suadet amor, libenter communibus optatis obsecundamus, ut nonnulla inculcemus, quae si serventur, non stare modo Istitutum vestrum sed florere necesse est. Atque illud in primis sanctum omnibus esto, quod Franciscus legifer, supremum obiturus diem, testamento veluti alumnis legavit; observantia videlicet in Apostolicam Sedem. Neque ea solum, qua Christi in terris Vicarium colatis; sed ea maxime quae in obediendo est, seu ille iubeat, seu etiam consilio vel hortatione utatur. — A studiis vero partium quicumque in Tertium Ordinem cooptatur abstineat vel maxime; iis enim, ut cetera damna praetereamus, fraternae concordiae vincula labefactantur. Vim potius virtutemque animi omnem eo convertant, ut suscepti instituti in se quisque rationem exprimat. Cuius est, christianae vitae praecepta severius sequi, exlegem caducarum rerum appetitionem frangere, pietatem impensius colere, modestiae ceterarumque virtutum exemplis praelucere. — Religiosi autem viri e primo seraphici Patris Ordine, quorum Tertianorum coetum moderari est, id fixum ac persuasum habeant, in huius propagatione magnum esse salutis privatae ac publicae praesidium. Sic tamen studeant ut sanctae huic militiae quamplurimi ex utroque sexu dent nomen, ut nihil de statis legibus detrahatur, sed eadem ubique gentium sit cooptatis vivendi agendique ratio. — Quibus industriis venerabiles fratres singularum dioece-

sium Episcopos vim auctoritate sua addituros confidimus: qui, ut fideles Tertium Ordinem pro veritate aestiment, illum cleri hominibus magnopere commendent; quod facile assequentur, si eiusdem cleri alumni, dum in sacris seminariis formantur, insignia *Poenitentiae* induant. — Vobis interea, dilecti filii, qui Romam convenistis, fausta quaevis a Domino in habendo coetu ominamur; ut ex eo vis nova novusque ardor Institutum vestrum pervadat. Cuius rei auspex sit Apostolica benedictio, quam vobis et universae Franciscalium familiae amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

MOTV PROPRIO

DE COLLEGIO

CLERICIS PHILIPPINIS INSTITVENDIS

—

LEO PP. XIII

Eximiis in Ecclesiam promeritis claret Philippi Nerii et clarebit nomen. Ipse enim ex eo est numero quos, saeculo sexto decimo, miserentis providentisque Dei consilium ideo excitavit, ut sanandis vulneribus religioni et christianae vitae miserrime inflictis alacres darent operam, quum sanctissimis de se exemplis, tum aptis in commune bonum perpetuisque institutis. Nerio sacerdotalis industriae campus in Urbe late patuit: in quo ad summam senectutem impigre elaboravit cum admirabili plane fructu; ob eam nimirum rem apostolus Romae iure appellatus. Eique merito, recenti adhuc memoria, tertio videlicet exeunte saeculo a beatissimo eius natali, insignes quosdam honores Roma persolvit memor. Ipse igitur, tametsi omnem pietatis formam et multiplex caritatis genus complexus est, singulari tamen studio enituit adolescentis aetatis probe imbuendae formandique cleri ad optimorum exempla: quod utrumque, Sodalitio condito Presbyterorum ab Oratorio, feliciter praestitit. Ista enimvero solidae virtutis et doctrinae palaestra magnam romanorum Pontificum

gratiam Auctori etiamtum viventi conciliavit, ab iisque deinceps et beneficia habuit non pauca et legitimam comprobationem: multiplicatis autem Familiis, satis cognitum est quam lecta inde alumnorum soboles et quanta copia bonorum ad hos dies provenerit. Quae quidem apud Nos reputantes, aegre ferebamus quod in aliquot Italiae regionibus, propter leges sane quam exitiosas de Religiosorum ordinibus abolendis, Philippini quoque Sodalitii decresceret numerus, exarescerent vires. Quapropter ad ipsum, quod peculiari semper benevolentia prosecuti sumus, providentiae Nostrae curas convertimus, eodem acti studio quo piis aliis Coetibus opitulari pro facultate censuimus. Congruenter proposito, aedes satis amplas in Perusina urbe, prope scilicet templum Philippi patris, aere Nostro comparavimus; quas destinatas volumus delectis clericis ad eiusdem sancta instituta excolendis; ita nempe, ut ex eo recte posito tirocinio operarii prodeant digni in spem decusque Oratorii, in uberem animorum utilitatem, hoc praesertim temporum cursu, a pristinis illis Sodalitii nascentis haud longe dissimilium. Consiliis autem curisque Nostris exitum optatum non defore valde confidimus, benignitate annuente Dei, tutelamque Collegii gerente, una cum Philippo patre, praeclaro eiusdem disciplinae alumno *Antonio Grassio,* cui Nosmet hac ipsa auspicatissima die honores caelitum Beatorum solemni ritu decrevisse laetamur.

Est itaque auctoritate Nostra Apostolica constitutum Perusiae Collegium clericis Philippinis instituendis, ad leges quae sequuntur:

I. Aedes et bona Collegii Pontifici romano sint maneantque omnino propria: eiusdem auctoritati, nullâ cuiusquam interiecta, Collegium pareat.

II. In Collegium nulli admittantur adolescentes, nisi quibus propositum sit Philippinorum institutum amplecti.

III. Alumni ad mentem animumque Patris legiferi educantur, in Oratorii Familias, prout singulis opus fuerit, postea recipiendi. Litteras, doctrinas, cumprimis sacras, addiscent. Magistris quamdiu domi carebunt, scholas Seminarii Perusini celebrabunt.

IV. Collegio administrando rector praeerit; eidem sacerdotes bini a consiliis aderunt, alter magister pietatis, alter studiorum moderator. Eos omnes summus Pontifex primum eliget: suum quisque munus sexennio geret.

V. Sexennio exacto, qui succedant, a praepositis singulis Coetuum Philippinorum, quotquot sunt in Umbria, in Piceno, in Flaminia, in Aemilia, quorum praecipue bono Collegium est constitutum, per suffragia designabuntur. Designati, sex item annos fungantur munere; eosdem in sexennium alterum confirmare liceat.

VI. Suffragiis ferendis rector Collegii Perusini praesit, idemque suffragii iure fruatur. Electi, munus ne suscipiant nisi sacro sanciente Consilio Episcopis ac Religiosorum ordinibus praeposito.

VII. Alumnos cooptandi, item, si male meruerint, dimittendi potestas rectori esto; qui tamen sententiam consiliarii utriusque ea de re rogare ne negligat.

VIII. Rector qui primum a Pontifice maximo creatus

sit, utroque consiliario adhibito, leges Collegii condat ab eodem Pontifice probandas. In iis cooptandi alumnos conditiones, eorum in Collegio commorationis diuturnitas, omnisque disciplinae ratio ex ordine praefiniatur.

IX. Praeter eos, qui redditu a Nobis attributo alantur, adolescentes alios rector adiungendos curabit, in quorum victum Familiae singulae Philippinorum, pro suis quaeque viribus, conferant.

X. Ii, qui certae cuiusdam Philippinae Domus collatione in Collegio aluntur, edito iureiurando spondeant se, perfecto studiorum cursu, in ea ipsa Domo commoraturos eidemque navaturos operam. Qui vero aluntur aere pontificio, fidem itidem sacramento obligabunt se praesto fore, quascumque in Domos rector miserit.

XI. Rei familiari curandae sacerdos e Philippinorum numero praeerit, a Pontifice maximo designandus.

XII. Rector, itemque rei familiaris Administrator, dato quotannis libello manu ipsorum subscripto, de alumnorum disciplina, de studiis actis, de accepto expensove, ad eumdem Pontificem referent.

Haec edicimus et statuimus; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Septembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

IOSEPHO CALASANCTIO TIT. SANCTI HADRIANI

DIACONO CARDINALI VIVES Y TVTO

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qua mente quove animo prosequuti fuerimus coetum, quem Ordo Franciscalium Tertius, abhinc dies paucos, in Urbe habuit, coniicere perspicue licuit ex ea epistola, quam ad coeuntes sodales communiter dedimus in antecessum. Quam ob rem quum, tuo primum ceterorumque praesidum testimonio ac scriptis deinde litteris, felicem conventus exitum cognovimus, gavisi admodum sumus et spem amplam cepimus de propagando latius in dies Tertianorum Franciscalium Instituto. — Quae, Nostra quidem sententia, optatae huic propagationi conducunt maxime, iam in memorata epistola innuimus et inculcavimus. Ex iis tamen concordiam animorum iterum commendare libet ac servandarum legum par in omnibus et ubique studium. Una lex unum corpus efficit; servataque ex lege, vigor

corpori manet agendique efficacia. Vestram autem legem eam esse voluimus, quae, quamvis dispar variarum gentium sit indoles diversique mores, integre ubique valere queat. Quia vero Tertii Ordinis institutum, ex seraphici Auctoris consilio, eo demum spectat ut caritas Dei atque hominum *diffundatur in cordibus*, ac sicubi intermortua sit reviviscat; huc Tertiani omnes laborem studiumque advertant, ut Dei primum honorem provehant, tum vero miseros quosque iuvent ad aeternam et, quoad fieri possit, huius etiam aevi felicitatem adipiscendam. Ratio temporum, in quae Franciscus legifer incidit, ad nostrorum rationem pluribus ex caussis accedit. Nihil igitur dubitandum quin, quas ille ex Instituto vestro utilitates praeclaras obtinuit, eaedem, vobis adnitentibus, Ecclesiae ac Civitati sint modo obventurae. Faxit haec Deus, Francisco exorante. Nos autem ut divinorum munerum subsidia conciliemus, Apostolicam benedictionem Franciscalium Ordinibus universis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Octobris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

GEORGIO TIT. SANCTAE AGNETIS

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP

EPISCOPO VRATISLAVIENSI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Communes litteras, quas, antequam Fulda discederetis, tu ceterique Borussiae Episcopi ad Nos dedistis magna animi iucunditate perlegimus. Testes enim fuerunt constantis studii, quo omnes Ecclesiarum vestrarum securitati ac bono prospicitis; virosque ex istis regionibus catholicos, ut, peregrinatione suscepta, ad caelestes Iubilaei magni thesauros a Nobis Romae reclusos rite assequendos, Urbem peterent, saepe feliciterque estis adhortati. Dolemus profecto Nos etiam quod, ut affirmatis, nondum istic pace integra perfectaque libertate uti liceat praesertim in educanda sciteque imbuenda catholica iuventute. At instate alacres nec labori parcite; fiduciam enim fovemus fore ut industriis vestris obsecundet Deus, detque demum

coepta ad votum perfici. Nos interim, auspicem divinorum subsidiorum, tibi ceterisque Episcopis ac gregibus cuique creditis Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Octobris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IACOBO MEEUWISSEN PRAESIDI PROVINCIALI
SODALIVM A SANCTISSIMO REDEMPTORE
AMSTELODAMVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

E religiosis familiis, quibus ob mitigata tempora rursus Neerlandiae patuit hospitium, probe tenemus, sodales extitisse Alphonsianos, qui primi religionis refovendae caussa istic consederint. Eosdem novimus in eo elaborare deinceps consuevisse cum primis, tum ut catholicos in officio confirmarent, tum ut dissidentes ad Ecclesiae sinum, secundum vota Nostra, reducerent. Itaque scito, dilecte fili, valde Nobis probari, quod a te nuntiatum est, catholicos nonnullos viros vobis persuasisse, ut Amstelodamensis vestrae domus initia, annis post quinquaginta, propediem commemoretis. Quod enim auctores vobis huiusce celebrandae commemorationis illi fuerunt, id certo est argumento operam vestram sibi suisque civibus toto hoc tempore

evenisse salutarem. Ipsa autem recordatio simul laborum, quos pro Ecclesia adhuc impendistis, simul fructuum, quos Dei gratia de industria vestra peperit, et iucunda vobis accidet et frugifera: adiiciet enim vestrae diligentiae stimulos, ut pari atque etiam maiore contentione vestrae simul et alienae saluti studere porro perseveretis, confisi unice Deo. Id quod magnopere vos hortamur. Auspicem caelestium munerum et benevolentiae Nostrae testem Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque sodalibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Octobris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE COLLEGIO CLERICORVM LVSITANORVM
IN VRBE CONDENDO

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Rei catholicae apud Lusitanos iuvandae ducimur studio, nec inusitato Nobis nec impari meritis spectatissimae gentis, cuius laudes per occasionem haud semel attigimus. Insidet enim menti species illa plane nobilis tum populi per varias vices cum Apostolica Sede coniuncti, tum regum victricia signa inferentium consociata Cruci in adiectas imperio plagas late dissitas. Quae quidem egregia virtus fideique constantia iamdudum sibi demeruit romanos Pontifices, effecitque ut Lusitanae nationi essent ad multam gratiam benigni. Huc spectant in eos reges collata decora, et in Indiae orientalis Ecclesias ius amplissimum patrocinii, et privilegia cetera atque ornamenta complura. Nec paternae Nostrae caritatis defuere significationes, sive quum rebus Goanis componendis animum adiecimus, sive quum variis Lusitanae Ecclesiae necessitatibus opportune

prospeximus. Eiusdemque rei causâ, binis litteris encyclicis ad Venerabiles Fratres episcopos datis, alteris die XIV Septembris anno MDCCCLXXXVI, alteris die XXV Iunii anno MDCCCXCI, non pauca visum est monere et praecipere salutaria. Quae iacta semina non infecundum solum experta sunt. Prudentiâ enim vigilantiaque episcoporum, pia cleri et populi voluntate, omniumque uno in Apostolicam Sedem obsequio, nonnulla cogitata sunt et proposita, quae ad religionis sarcienda damna utilitatesque provehendas conducerent.

Sed consiliorum omnium illud in primis secundum optata Nostra cessit, quod est de adolescentibus ad sacerdotale munus exquisitiore quadam cultura formandis: quo uno beneficio omnia propemodum Ecclesiae praesidia continentur. Consilium nempe dicimus, de proprio Lusitanis clericis Collegio Romae aperiendo. Sane, si huiusmodi curam pro aliis gentibus quanta licuit navitate gessimus, id providentes ut sacrorum alumnis multiplicarentur domicilia, eaque doctrinae virtutisque laude florentia, magna certe animi propensione excipere Nos oportebat inchoata proposita in peculiare bonum cleri Lusitani, cuius optimum cursum nihil fere aliud nisi publicarum rerum conditio retardavit. — Multum quidem operae ac laboris in huius deflexu aetatis episcopi contulerunt, ut imminuti cleri reficeretur numerus et legitima disciplina vigeret, iuventutis sacrae vel excitatis contuberniis vel restitutis. Nihilominus iidem multa adhuc desiderari professi sunt, nec satis ecclesiis suis consultum fore censuerunt, nisi Colle-

gium in Urbe conderetur clericis instituendis, ex omni Lusitania delectis. In hoc enimvero quasi perfugio, prope veneranda sepulcra Apostolorum Principum augustamque Petri Cathedram, multo licet plenius saluberrimam haurire doctrinam, quae Dei ministros deceat; hic ad probatissimae disciplinae solidaeque pietatis consuetudinem sanctius adduci; hic multiplici rerum ope ea arma expeditius instruere, quibus muniti, boni Christi milites, perutile religioni neque minus civitati exhibeant ministerium. Res in usu versatur, quum neminem profecto lateat, quantam fecerint et faciant messem, non modo ceteri exterorum collegiorum et sodalitatum alumni, sed unus etiam aut alter e Lusitanis ipsis, quorum prima aetas altricem Romam habuerit atque magistram.

His de causis, quo nimirum tempore solemnia saecularia detectae Indiae acta sunt Romae, susceptum negotium quum ad Nos esset delatum, Nos coepta optima omnino probare et collaudare nihil dubitavimus, optime eis a Deo precati. Ad hoc movit praeterea par et idem omnium consensus, non modo sacrorum antistitum, sed amplissimorum quoque ex omni ordine civium; quo in numero commemorabiles praecipue sunt Aloisius Souza Rebello Vahia, vicecomes a sancto Ioanne de Pesqueira, et nobilissima coniux, qui omni officiorum genere institerunt ut res bene feliciterque eveniret, certa quoque pecuniae vi in Collegii tuitionem liberaliter attributa.

Superiore igitur anno tentata sunt quaedam Collegii initia, et temporaria ei quaesita sedes. Rebusque satis

feliciter procedentibus, cum laetioribus in futurum auspiciis, minime iam remorandum id esse duximus quod expetebatur, ut eidem ephebeo ius Collegii legitimi auctoritate Nostra tribueremus.

Itaque ad maiorem Dei gloriam, ad catholicae religionis incrementum, ad decus utilitatemque incliti Lusitaniae regni, hisce litteris, Collegium clericorum Lusitanorum, sub Nostra et Successorum auctoritate ac tutela, in Urbe fundamus et constituimus, eodemque iure esse volumus quo sunt pontificia clericorum Collegia urbana. Quo autem Nostra in gentem Lusitanam benevolentia apertius pateat, et plus prosperitatis res Collegii inde ab ortu sint habiturae, hoc deliberatum habemus, de aedibus eidem aptis comparandis aere Nostro providere.

Decernimus porro ut rei familiaris administratio sit penes Collegii rectorem, a Pontifice maximo eligendum, consociatâ cura cum duobus e clero viris, quos pariter ei muneri Pontifex ipse praefecerit. Cum rectore consilia communicabunt episcopi de alumnis suis in Collegium cooptandis; qui iis ingenii maximeque animi laudibus praestent, ut ad munia sacra digne aliquando obeunda spem afferant de se bonam. Mittantur ex omnibus dioecesibus Lusitanis, tum quae in continenti, tum transmarinis: bini, saltem ex continenti, ab unaquaque dioecesi mittantur. Eorum numerum praesenti rerum necessitati parem fore confidimus. Atque uberiori Collegii vitae prospicientes, edicimus ut alumni quatuor Lusitani, quibus locus est in Nostro Seminario Romano, itemque cui locus est in almo

Collegio Capranicensi, in novum hoc suae gentis clericis destinatum domicilium commigrent, dotali censu eidem transmisso. — Quoniam vero e sacro ordine Cardinalium esse consuevit qui regni Lusitani patronatum gerat, idcirco eius quoque benevolentiae, gratiaeque similiter Legati apud Nos Regis Fidelissimi, Collegium ipsum libet commendare.

Haec statuimus in praesens: opportunius alia quaedam in Collegii incrementa curabimus. — Quod attinet ad subsidia pecuniae, quae alumnis victum cultumque in perpetuitatem suppeditent, paratiora in dies ea fore pollicetur explorata Nobis egregia voluntas ac pia liberalitas quum sacrorum antistitum, tum civium optimorum, quibus prima commendatio est studium religionis avitae cum patria caritate coniunctum: bene quippe mereri de cleri adolescentis institutione, id demum est bene de patria ipsa et praeclare mereri. — Hoc restat ut, quotquot in urbanum clericorum Lusitanorum Collegium adlegantur, ii studeant oblati a Deo beneficii amplitudinem pro merito aestimare; proinde, virtutis omnis quasi instituto certamine, iustam episcoporum civiumque suorum expectationem atque Nostram alacres explere contendant. Cumulatam de ipsis percipiat laetitiam Lusitana Ecclesia, cuius in fastis non pauci numerantur et vitae sanctimonia et doctrinae ornamentis et actuosa caritate ad imitationem insignes.

Volumus denique ut hae litterae Nostrae firmae rataeque uti sunt, ita in posterum permaneant, irritum et inane

decernentes si quid a quopiam super his contigerit attentari; contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die xx Octobris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA ENCYCLICA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tametsi futura prospicientibus, vacuo a sollicitudine animo esse non licet, immo vero non paucae sunt nec leves extimescendae formidines, cum tot tamque inveteratae malorum caussae et privatim et publice insideant: tamen spei ac solatii aliquid videntur haec extrema saeculi divino munere peperisse. Nemo enim existimet, nihil habere ad communem salutem momenti renovatam cogitationem bonorum animi, fideique et pietatis christianae excitata studia: quas quidem virtutes revirescere apud complures aut corroborari hoc tempore, satis expressa signa testantur. En quippe in medio illecebrarum saeculi ac tot circumiectis pietati offensionibus, tamen uno nutu Pontificis undique commeare Romam ad limina sanctorum Apostolorum multitudo frequens: cives pariter ac peregrini dare palam religioni operam: oblataque Ecclesiae indulgentiâ confisi, paran-

dae aeternae salutis artes studiosius exquirere. Quem praeterea ista non moveat, quae omnium obversatur oculis, erga humani generis Salvatorem solito magis incensa pietas? Optimis rei christianae temporibus facile dignus iudicabitur iste ardor animi tot hominum millium una voluntate sententiaque ab ortu ad solis occasum consalutantium nomen laudesque praedicantium Iesv Christi. Atque utinam istas avitae religionis velut erumpentes flammas magnum incendium consequatur: exemplumque excellens multorum reliquos permoveat universos. Quid enim tam huic aetati necessarium, quam redintegrari late in civitatibus indolem christianam, virtutesque veteres? Illud calamitosum, alios et quidem nimis multos obsurdescere, nec ea, quae ab eiusmodi pietatis renovatione monentur, audire. Qui tamen si *scirent donum Dei,* si reputarent, nihil fieri posse miserius quam descivisse a liberatore orbis terrarum, moresque et instituta christiana deseruisse, utique exsuscitarent et ipsi sese, certissimumque interitum effugere converso itinere properarent. — Iamvero tueri in terris atque amplificare imperium Filii Dei, divinorumque beneficiorum communicatione ut homines salvi sint contendere, munus est Ecclesiae ita magnum atque ita suum, ut hoc in opere maxime omnis eius auctoritas ac potestas consistat. Id Nos in administratione Pontificatus maximi, perdifficili illa quidem ac plena curarum, videmur ad hunc diem pro viribus studuisse: vobis autem, Venerabiles Fratres, usitatum certe est, immo quotidianum, praecipuas cogitationes

vigiliasque in eodem negotio Nobiscum consumere. Verum utrique debemus pro conditione temporum etiam maiora conari, nominatimque per sacri opportunitatem Anni disseminare latius notitiam atque amorem Iesu Christi, docendo, suadendo, hortando, si forte exaudiri vox nostra queat, non tam eis, dicimus, qui effata christiana accipere pronis auribus consuevere, quam ceteris omnibus longe miserrimis, christianum retinentibus nomen, vitam sine fide, sine amore Christi agitantibus. Horum Nos maxime miseret: hos nominatim velimus, et quid agant et quorsum evasuri sint, nî resipuerint, attendere.

Iesum Christum nullo unquam tempore nullaque ratione novisse, summa infelicitas est, vacat tamen pervicacia atque ingrati animi vitio: repudiare aut oblivisci iam cognitum, id vero scelus est adeo tetrum atque insanum, ut in hominem cadere vix posse videatur. Principium enim atque origo ille est omnium bonorum: humanumque genus, quemadmodum sine Christi beneficio liberari nequiverat, ita nec conservari sine eius virtute potest. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* [1]. Quae vita mortalium sit, unde exsulet Iesus, *Dei virtus et Dei sapientia,* qui mores, quae extrema rerum non satis docent exemplo suo expertes christiani luminis gentes? Quarum qui parumper meminerit vel adumbratam apud

[1] Act. IV, 12.

Paulum [1] caecitatem mentis, depravationem naturae, portenta superstitionum ac libidinum, is profecto defixum misericordia simul atque horrore animum sentiat. — Comperta vulgo sunt, quae memoramus hoc loco, non tamen meditata, nec cogitata vulgo. Neque enim tam multos abalienaret superbia, aut socordia languefaceret, si divinorum beneficiorum late memoria coleretur, saepiusque repeteret animus, unde hominem Christus eripuit, et quo provexit. Exheres atque exsul tot iam aetates in interitum gens humana quotidie rapiebatur, formidolosis illis aliisque implicata malis, quae primorum parentum pepererat delictum, nec ea erant ulla humana ope sanabilia, quo tempore Christus Dominus, demissus e caelo liberator, apparuit. Eum quidem victorem domitoremque *serpentis* futurum, Deus ipse in primo mundi ortu spoponderat: inde in adventum eius intueri acri cum expectatione desiderii saecula consequentia. In eo spem omnem repositam, sacrorum fata vatum perdiu ac luculente cecinerant: quin etiam lecti cuiusdam populi varia fortuna, res gestae, instituta, leges, caeremoniae, sacrificia, distincte ac dilucide praesignificaverant, salutem hominum generi perfectam absolutamque in eo fore, qui sacerdos tradebatur futurus, idemque hostia piacularis, restitutor humanae libertatis, princeps pacis, doctor universarum gentium, regni conditor in aeternitate temporum permansuri. Quibus et titulis et imaginibus et vaticiniis specie variis, re concinentibus, ille designabatur unus, qui

[1] Ad Rom. I.

propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, pro salute nostra sese aliquando devoveret. Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecit de sanguine suo, tantoque redemptum pretio vindicavit sibi genus humanum. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis:... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati* [1]. Ita omnes in universum homines potestati iam imperioque suo subiectos, quod cunctorum ipse et conditor est et conservator, vere proprieque redimendo, rursus fecit iuris sui. *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno* [2]. Hinc a Deo instaurata in Christo omnia. *Sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* [3]. Cum delesset Iesus chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci, continuo quievere caelestes irae; conturbato errantique hominum generi antiquae servitutis liberata nexa, Dei reconciliata voluntas, reddita gratia, reclusus aeternae beatitudinis aditus, eiusque potiundae et ius restitutum et instrumenta praebita. Tum velut excitatus e veterno quodam diuturno ac mortifero dispexit homo lumen veritatis concupitum per tot saecula quaesitumque frustra: in primisque agnovit, ad bona se multo altiora multoque magnificentiora natum quam haec sint, quae sensibus percipiuntur, fragilia

[1] I Petr. I, 18-19.
[2] I Cor. VI, 19-20.
[3] Eph. I, 9-10.

et fluxa, quibus cogitationes curasque suas antea finierat: atque hanc omnino esse humanae constitutionem vitae, hanc legem supremam, huc tamquam ad finem omnia referenda, ut a Deo profecti, ad Deum aliquando revertamur. Ex hoc initio et fundamento recreata revixit conscientia dignitatis humanae: sensum fraternae omnium necessitudinis excepere pectora: tum officia et iura, id quod erat consequens, partim ad perfectionem adducta, partim ex integro constituta, simulque tales excitatae passim virtutes, quales ne suspicari quidem ulla veterum philosophia potuisset. Quamobrem consilia, actio vitae, mores, in alium abiere cursum: cumque Redemptoris late fluxisset cognitio, atque in intimas civitatum venas virtus eius, expultrix ignorantiae ac vitiorum veterum, permanasset, tum ea est conversio rerum consecuta, quae, christiana gentium humanitate parta, faciem orbis terrarum funditus commutavit.

Istarum in recordatione rerum quaedam inest, Venerabiles Fratres, infinita iucunditas, pariterque magna vis admonitionis, scilicet ut habeamus toto animo, referendamque curemus, ut potest, divino Servatori gratiam.

Remoti ob vetustatem sumus ab originibus primordiisque restitutae salutis: quid tamen istuc referat, quando redemptionis perpetua virtus est, perenniaque et immortalia manent beneficia? Qui naturam peccato perditam reparavit semel, servat idem servabitque in perpetuum; *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [1]. *In Christo omnes vivi-*

[1] I Tim. II, 6.

ficabuntur [1]. *Et regni eius non erit finis* [2]. Itaque ex aeterno Dei consilio, omnis est in Christo Iesu cum singulorum, tum universorum posita salus: eum qui deserunt, hoc ipso exitium sibi privatim coeco furore consciscunt, eodemque tempore committunt, quantum est in se, ut quam malorum calamitatumque molem pro pietate sua Redemptor depulerat, ad eam ipsam convictus humanus magna iactatus tempestate relabatur.

Rapiuntur enim errore vago optata ab meta longius, quicumque in itinera se devia coniecerint. Similiter si lux veri pura et sincera respuatur, offundi caliginem mentibus, miseraque opinionum pravitate passim infatuari animos necesse est. Spes autem sanitatis quota potest esse reliqua iis, qui principium et fontem vitae deserant? Atqui via, veritas et vita Christus est unice. *Ego sum via, et veritas, et vita* [3]: ita ut, eo posthabito, tria illa ad omnem salutem necessaria principia tollantur.

Num disserere est opus, quod ipsa res monet assidue, quodque vel in maxima mortalium bonorum affluentia in se quisque penitus sentit, nihil esse, praeter Deum, in quo voluntas humana absolute possit atque omni ex parte quiescere? Omnino finis homini, Deus: atque omnis haec, quae in terris degitur, aetas similitudinem peregrinationis cuiusdam atque imaginem verissime gerit. Iamvero *via* nobis Christus est, quia ex hoc mortali cursu,

[1] I Cor. XV, 22.
[2] Luc. I, 33.
[3] Io. XIV, 6.

tam laborioso praesertim tamque ancipiti, ad summum et extremum bonorum, Deum, nulla ratione pervenire, nisi Christo auctore et duce, possumus. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* [1]. Quo modo nisi per eum? Nempe in primis et maxime, nisi per gratiam eius: quae tamen *vacua* in homine foret, neglectis praeceptis eius et legibus. Quod enim fieri, parta per Iesum Christum salute, oportebat, legem ipse suam reliquit custodem et procuratricem generis humani, qua nimirum gubernante, a vitae pravitate conversi, ad Deum homines suum securi contenderent. *Euntes docete omnes gentes*:... *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*... [2]. *Mandata mea servate* [3]. Ex quo intelligi debet, illud esse in professione christiana praecipuum planeque necessarium, praebere se ad Iesu Christi praecepta docilem eique, ut domino ac regi summo, obnoxiam ac devotam penitus gerere voluntatem. Magna res, et quae multum saepe laborem vehementemque contentionem et constantiam desiderat. Quamvis enim Redemptoris beneficio humana sit reparata natura, superstes tamen in unoquoque nostrum velut quaedam aegrotatio est, infirmitas ac vitiositas. Appetitus varii huc atque illuc hominem rapiunt, rerumque externarum illecebrae facile impellunt animum ut, quod lubeat, non quod a Christo imperatum sit, sequatur. Atqui tamen contra nitendum, atque omnibus

[1] Io. XIV, 6.
[2] Matt. XXVIII, 19-20.
[3] Io. XIV, 15.

viribus repugnandum est cupiditatibus *in obsequium Christi:* quae, nisi parent rationi, dominantur, totumque hominem Christo ereptum, sibi faciunt servientem. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem, non efficiunt ut non serviant..., serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiae, vel spectaculi* [1]. Atque in eiusmodi certamine sic quisque affectus esse debet, ut molestias etiam et incommoda sibi suscipienda. Christi caussa, putet. Difficile, quae tanto opere alliciunt atque oblectant, repellere: durum atque asperum ea, quae putantur bona corporis et fortunae, prae Christi domini voluntate imperioque contemnere: sed omnino christianum hominem oportet patientem et fortem esse in perferendo, si vult hoc, quod datum est vitae, christiane traducere. Oblitine sumus cuius corporis et cuius capitis simus membra? Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, qui nobis ut nosmetipsos abnegaremus praescripsit. Ex ea vero affectione animi, quam diximus, humanae naturae dignitas pendet ipsa. Quod enim vel sapientia antiquorum saepe vidit, imperare sibi efficereque ut pars animi inferior obediat superiori, nequaquam est fractae voluntatis demissio, sed potius quaedam generosa virtus rationi mirifice congruens, in primisque homine digna. — Ceterum, multa ferre et perpeti, humana conditio est. Vitam sibi dolore vacuam atque omni expletam beatitate extruere non plus homo potest, quam divini conditoris sui delere consilia, qui culpae veteris consectaria voluit manere perpetua.

[1] S. Aug. De vera rel., 37.

Consentaneum est ergo, non expectare in terris finem doloris, sed firmare animum ad ferendum dolorem, quo scilicet ad spem certam maximorum bonorum erudimur. Neque enim opibus aut vitae delicatiori, neque honoribus aut potentiae, sed patientiae et lacrimis, studio iustitiae et mundo cordi sempiternam in caelo beatitudinem Christus assignavit.

Hinc facile apparet quid sperari denique ex eorum errore superbiaque debeat, qui, spreto Redemptoris principatu, in summo rerum omnium fastigio hominem locant, atque imperare humanam naturam omni ratione atque in omnes partes statuunt oportere: quamquam id regnum non modo assequi, sed nec definire, quale sit, queunt. Iesu Christi regnum a divina caritate vim et formam sumit: diligere sancte atque ordine, eius est fundamentum et summa. Ex quo illa necessario fluunt, officia inviolate servare: nihil alteri de iure detrahere: humana caelestibus inferiora ducere: amorem Dei rebus omnibus anteponere. Sed isthaec dominatio hominis, aut aperte Christum reiicientis aut non curantis agnoscere, tota nititur in amore sui, caritatis expers, devotionum nescia. Imperet quidem homo, per Iesum Christum licet: sed eo, quo solo potest, pacto, ut primum omnium serviat Deo, eiusque ab lege normam religiose petat disciplinamque vivendi.

Legem vero Christi dicimus non solum praecepta morum naturalia, aut ea quae accepere antiqui divinitus, quae utique Iesus Christus omnia perfecit et ad summum

adduxit declarando, interpretando, sanciendo: verum etiam doctrinam eius reliquam, et omnes nominatim ab eo res institutas. Quarum profecto rerum caput est Ecclesia: immo ullaene res numerantur Christo auctore institutae, quas non illa cumulate complectatur et contineat? Porro Ecclesiae ministerio, praeclarissime ab se fundatae, perennare munus assignatum sibi a Patre voluit: cumque ex una parte praesidia salutis humanae in eam omnia contulisset, ex altera gravissime sanxit, ei ut homines perinde subessent ac sibimetipsi, eamdemque studiose et in omni vita sequerentur ducem: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit* [1]. Quocirca omnino petenda ab Ecclesia lex Christi est: ideoque via homini Christus, via item Ecclesia: ille per se et natura sua; haec, mandato munere et communicatione potestatis. Ob eam rem quicumque ad salutem contendere seorsum ab Ecclesia velint, falluntur errore viae, frustraque contendunt.

Quae autem privatorum hominum, eadem fere est caussa imperiorum: haec enim ipsa in exitus perniciosos incurrere necesse est, si digrediantur de *via*. Humanae procreator idemque redemptor naturae, Filius Dei, rex et dominus est orbis terrarum, potestatemque summam in homines obtinet cum singulos, tum iure sociatos. *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient* [2]. *Ego autem constitutus sum rex ab eo....*

[1] Luc. x, 16.
[2] Daniel. vii, 14.

Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae [1]. Debet ergo in convictu humano et societate lex valere Christi, ita ut non privatae tantum ea sit, sed et publicae dux et magistra vitae. Quoniamque id ita est provisum et constitutum divinitus, nec repugnare quisquam impune potest, idcirco male consulitur rei publicae ubicumque instituta christiana non eo, quo debent, habeantur loco. Amoto Iesu, destituitur sibi humana ratio, maximo orbata praesidio et lumine: tum ipsa facile obscuratur notio caussae, quae caussa, Deo auctore, genuit communem societatem, quaeque in hoc consistit maxime ut, civili coniunctione adiutrice, consequantur cives naturale bonum, sed prorsus summo illi, quod supra naturam est, perfectissimoque et perpetuo bono convenienter. Occupatis rerum confusione mentibus, ingrediuntur itinere devio tam qui parent, quam qui imperant: abest enim quod tuto sequantur, et in quo consistant.

Quo pacto miserum et calamitosum aberrare de via, simillime deserere veritatem. Prima autem et absoluta et essentialis *veritas* Christus est, utpote Verbum Dei, consubstantiale et coaeternum Patri, unum ipse et Pater. *Ego sum via, et veritas.* Itaque, si verum quaeritur, pareat primum omnium Iesu Christo, in eiusque magisterio secura conquiescat humana ratio, propterea quod Christi voce loquitur ipsa veritas. — Innumerabilia genera sunt,

[1] Ps. II.

in quibus humani facultas ingenii, velut in uberrimo campo et quidem suo, investigando contemplandoque, libere excurrat, idque non solum concedente, sed plane postulante natura. Illud nefas et contra naturam, contineri mentem nolle finibus suis, abiectâque modestia debita, Christi docentis aspernari auctoritatem. Doctrina ea, unde nostra omnium pendet salus, fere de Deo est rebusque divinissimis: neque sapientia hominis cuiusquam peperit eam, sed Filius Dei ipso ab Patre suo totam hausit atque accepit: *Verba quae dedisti mihi, dedi eis* [1]. Idcirco plura necessario complectitur, non quae rationi dissentiant, id enim fieri nullo pacto potest, sed quorum altitudinem cogitatione assequi non magis possumus, quam comprehendere, qualis est in se, Deum. At enim si tam multae res existunt occultae et a natura ipsa involutae, quas nulla queat humana explicare sollertia, de quibus tamen nemo sanus dubitare ausit, erit quidem libertate perverse utentium non ea perferre quae supra universam naturam longe sunt posita, quod percipere qualia sint non licet. Nolle dogmata huc plane recidit, christianam religionem nullam esse velle. Porro flectenda mens demisse et obnoxie *in obsequium Christi,* usque adeo, ut eius numine imperioque velut captiva teneatur: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* [2]. Tale prorsus obsequium est, quod Christus sibi tributum vult;

[1] Io. XVII, 8.
[2] II Cor. x, 5.

et iure vult, Deus est enim, proptereaque sicut voluntatis in homine, ita et intelligentiae unus habet summum imperium. Serviens autem intelligentiâ Christo domino, nequaquam facit homo serviliter, sed maxime convenienter tum rationi, tum nativae excellentiae suae. Nam voluntate in imperium concedit non hominis cuiuspiam, sed auctoris sui ac principis omnium Dei, cui subiectus est lege naturae: nec astringi se humani opinatione magistri patitur, sed aeterna atque immutabili veritate. Ita et mentis naturale bonum, et libertatem simul consequitur. Veritas enim, quae a Christi magisterio proficiscitur, in conspicuo ponit, unaquaeque res qualis in se sit et quanti: qua imbutus cognitione, si perceptae veritati paruerit homo, non se rebus, sed sibi res, nec rationem libidini, sed libidinem rationi subiiciet: peccatique et errorum pessima servitute depulsa, in libertatem praestantissimam vindicabitur: *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* [1]. — Apparet igitur, quorum mens imperium Christi recusat, eos pervicaci voluntate contra Deum contendere. Elapsi autem e potestate divina, non propterea solutiores futuri sunt: incident in potestatem aliquam humanam: eligent quippe, ut fit, unum aliquem, quem audiant, cui obtemperent, quem sequantur magistrum. Ad haec, mentem suam, a rerum divinarum communicatione seclusam, in angustiorem scientiae gyrum compellunt, et ad ea ipsa, quae ratione cognoscuntur, venient minus instructi ad

[1] Io. VIII, 32.

proficiendum. Sunt enim in natura rerum non pauca, quibus vel percipiendis, vel explicandis plurimum affert divina doctrina luminis. Nec raro, poenas de superbia sumpturus, sinit illos Deus non vera cernere, ut in quo peccant, in eo plectantur. Utraque de caussa permultos saepe videre licet magnis ingeniis exquisitaque eruditione praeditos, tamen in ipsa exploratione naturae tam absurda consectantes, ut nemo deterius erraverit.

Certum igitur sit, intelligentiam in vita christiana auctoritati divinae totam et penitus esse tradendam. Quod si in eo quod ratio cedit auctoritati, elatior ille animus, qui tantam habet in nobis vim, comprimitur et dolet aliquid, inde magis emergit, magnam esse in christiano oportere non voluntatis dumtaxat, sed etiam mentis tolerantiam. Atque id velimus meminisse, qui cogitatione sibi fingunt ac plane mallent quamdam in christiana professione et sentiendi disciplinam et agendi, cuius essent praecepta molliora, quaeque humanae multo indulgentior naturae, nullam in nobis tolerantiam requireret, aut mediocrem. Non satis vim intelligunt fidei institutorumque christianorum: non vident, undique nobis occurrere *Crucem*, exemplum vitae vexillumque perpetuum iis omnibus futurum, qui re ac factis, non tantum nomine, sequi Christum velint.

Vitam esse, solius est Dei. Ceterae naturae omnes participes vitae sunt, vita non sunt. Ex omni autem aeternitate ac suapte naturâ *vita* Christus est, quo modo est veritas, quia Deus de Deo. Ab ipso, ut ab ultimo augustissi-

moque principio, vita omnis in mundum influxit perpetuoque influet: quidquid est, per ipsum est, quidquid vivit, per ipsum vivit, quia *omnia* per Verbum *facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* — Id quidem in vita naturae: sed multo meliorem vitam multoque potiorem satis iam tetigimus supra, Christi ipsius beneficio partam, nempe *vitam gratiae,* cuius beatissimus est exitus *vita gloriae,* ad quam cogitationes atque actiones referendae omnes. In hoc est omnis vis doctrinae legumque christianarum ut *peccatis mortui, iustitiae vivamus*[1], id est virtuti et sanctitati, in quo moralis vita animorum cum explorata spe beatitudinis sempiternae consistit. Sed vere et proprie et ad salutem apte nulla re alia, nisi fide christiana, alitur iustitia. *Iustus ex fide vivit*[2]. *Sine fide impossibile est placere Deo*[3]. Itaque sator et parens et altor fidei Iesus Christus, ipse est qui vitam in nobis moralem conservat ac sustentat: idque potissimum Ecclesiae ministerio: huic enim, benigno providentissimoque consilio, administranda instrumenta tradidit, quae hanc, de qua loquimur, vitam gignerent, generatam tuerentur, extinctam renovarent. Vis igitur procreatrix eademque conservatrix virtutum *salutarium* eliditur, si disciplina morum a fide divina diiungitur: ac sane despoliant hominem dignitate maxima, vitaque deiectum super-

[1] I Petr. II, 24.
[2] Galat. III, 11.
[3] Hebr. XI, 6.

naturali ad naturalem perniciosissime revolvunt, qui mores dirigi ad honestatem uno rationis magisterio volunt. Non quod praecepta naturae dispicere ac servare recta ratione homo plura non queat: sed omnia quamvis dispiceret et sine ulla offensione in omni vita servaret, quod nisi opitulante Redemptoris gratia non potest, tamen frustra quisquam, expers fidei, de salute sempiterna confideret. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes; et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet* [1]. *Qui non crediderit, condemnabitur* [2]. Ad extremum quanti sit in se ipsa, et quos pariat fructus ista divinae fidei contemptrix honestas, nimis multa habemus documenta ante oculos. Quid est quod in tanto studio stabiliendae augendaeque prosperitatis publicae, laborant tamen ac paene aegrotant civitates tam multis in rebus tamque gravibus quotidie magis? Utique civilem societatem satis aiunt fretam esse per se ipsam: posse sine praesidio institutorum christianorum commode se habere, atque eo, quo spectat, uno labore suo pervenire. Hinc quae administrantur publice, ea more profano administrari malunt: ita ut in disciplina civili vitaque publica populorum vestigia religionis avitae pauciora quotidie videas. At non cernunt satis quid agant. Nam submoto numine recta et prava sancientis Dei, excidere auctoritate principe leges necesse est, iustitiamque collabi, quae duo firmissima sunt coniunctionis civilis

[1] Io. xv, 6.
[2] Marc. xvi, 16.

maximeque necessaria vincula. Similique modo, sublata semel spe atque expectatione bonorum immortalium, pronum est mortalia sitienter appetere: de quibus trahere ad se, quanto plus poterit, conabitur quisque pro viribus. Hinc aemulari, invidere, odisse; tum consilia teterrima: de gradu deiectam velle omnem potestatem, meditari passim dementes ruinas. Non pacatae res foris, non securitas domi: deformata sceleribus vita communis.

In tanto cupiditatum certamine, tantoque discrimine, aut extrema metuenda pernicies, aut idoneum quaerendum mature remedium. Coercere maleficos, vocare ad mansuetudinem mores populares atque omni ratione deterrere a delictis providentiâ legum, rectum idemque necessarium: nequaquam tamen in isto omnia. Altius sanatio petenda populorum: advocanda vis humanâ maior, quae attingat animos, renovatosque ad conscientiam officii, efficiat meliores: ipsa illa nimirum vis, quae multo maioribus fessum malis vindicavit semel ab interitu orbem terrarum. Fac reviviscere et valere, amotis impedimentis, christianos in civitate spiritus; recreabitur civitas. Conticescere proclive erit inferiorum ordinum cum superioribus contentionem, ac sancta utrinque iura consistere verecundiâ mutuâ. Si Christum audiant, manebunt in officio fortunati aeque ac miseri: alteri iustitiam et caritatem sentient sibi esse servandam, si salvi esse volunt, alteri temperantiam et modum. Optime constiterit domestica societas, custode salutari metu iubentis, vetantis Dei: eademque ratione plurimum illa in populis valebunt, quae

ab ipsa natura praecipiuntur, vereri potestatem legitimam et obtemperare legibus ius esse: nihil seditiose facere, nec per coitiones moliri quicquam. Ita, ubi christiana lex omnibus praesit et eam nulla res impediat, ibi sponte fit ut conservetur ordo divina providentia constitutus, unde efflorescit cum incolumitate prosperitas. Clamat ergo communis salus, referre se necesse esse, unde numquam digredi oportuerat, ad eum qui via et veritas et vita est, nec singulos dumtaxat, sed societatem humanam universe. In hanc velut in possessionem suam, restitui Christum dominum oportet, efficiendumque ut profectam ab eo vitam hauriant atque imbibant omnia membra et partes reipublicae, iussa ac vetita legum, instituta popularia, domicilia doctrinae, ius coniugiorum convictusque domestici, tecta locupletium, officinae opificum. Nec fugiat quemquam, ex hoc pendere magnopere ipsam, quae tam vehementer expetitur, gentium humanitatem, quippe quae alitur et augetur non tam iis rebus, quae sunt corporis, commoditatibus et copiis, quam iis, quae sunt animi, laudabilibus moribus et cultu virtutum.

Alieni a Iesu Christo plerique sunt ignoratione magis, quam voluntate improba: qui enim hominem, qui mundum studeant dedita opera cognoscere, quam plurimi numerantur; qui Filium Dei, perpauci. Primum igitur sit, ignorationem scientiâ depellere, ne repudietur aut spernatur ignotus. Quotquot ubique sunt, christianos obtestamur dare velint operam, quoad quisque potest, Redemptorem suum ut noscant, qualis est: in quem ut quis intuebitur

mente sincera iudicioque integro, ita perspicue cernet nec eius lege fieri quicquam posse salubrius, nec doctrinâ divinius. In quo mirum quantum allatura adiumenti est auctoritas atque opera vestra, Venerabiles Fratres, tum Cleri totius studium et sedulitas. Insculpere populorum in animis germanam notionem ac prope imaginem Iesu Christi, eiusque caritatem, beneficia, instituta illustrare litteris, sermone, in scholis puerilibus, in gymnasiis, in concione, ubicumque se det occasio, partes officii vestri praecipuas putatote. De iis, quae appellantur *iura hominis*, satis audiit multitudo: audiat aliquando de iuribus Dei. Idoneum tempus esse, vel ipsa indicant excitata iam, ut diximus, multorum recta studia, atque ista nominatim in Redemptorem tot significationibus testata pietas, quam quidem saeculo insequenti, si Deo placet, in auspicium melioris aevi tradituri sumus. Verum, cum res agatur quam non aliunde sperare nisi a gratia divina licet, communi studio summisque precibus flectere ad misericordiam insistamus omnipotentem Deum, ut interire ne patiatur, quos ipsemet profuso sanguine liberavit: respiciat hanc propitius aetatem, quae multum quidem deliquit, sed multa vicissim ad patiendum aspera in expiationem exanclavit: omniumque gentium generumque homines benigne complexus, meminerit suum illud: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* [1].

Auspicem divinorum munerum, benevolentiaeque No-

[1] Io. XII, 32.

strae paternae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Novembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

DECRETVM

DE NOVI SAECVLI INITIIS CHRISTO REDEMPTORI SOLLEMNITER CONSECRANDIS

—

VRBIS ET ORBIS

Regi saeculorum Christo Iesu iam prope labentis aevi finem, novique properantis initia solemniter consecrare omnes, quotquot ubique terrarum sunt, redemptos maxime convenit; tum ut pro acceptis ab illo, elapso praesertim saeculo, beneficiis gratiae peragantur, tum ut in tam adversis rerum vicissitudinibus validiora auxilia ad novum feliciter ineundum ipse misericors et clemens tribuat.

Quibus superiore anno praeludens Beatissimus Pater et Dominus Noster Leo XIII, Decreto S. RR. C. die XIII Novembris dato, concessit ut etiam incipientis Ianuarii anni MCMI media nocte *in templis ac sacellis exponi posset adorandum augustissimum Eucharistiae Sacramentum, facta potestate legendi vel canendi eadem hora coram Illo unicam Missam de festo in Circumcisione Domini et Octava Nativitatis; fidelibus autem sive infra, sive extra Sacrificii actionem, de speciali gratia, S. Synaxim sumendi.*

Nunc vero cogitanti Beatissimo Patri de novo aliquo stimulo fidelium pietati addendo, tam solemni eventu,

innotuit plures sacrorum Antistites, piasque Sodalitates in votis habere, ut Christifideles spiritualis Indulgentiarum thesauri divitiis adlecti, undequaque ad sacrosanctae Eucharistiae adorationem invitarentur, qui et illatas Numini iniurias reparare, et seipsos eiusdem suavissimo Cordi arctius coniungere satagerent.

Quae cum apprime Eius voluntati responderent, Beatissimus Pater benigne largitus est, ut omnes Christifideles, qui Sacramentali Confessione rite expiati et S. Synaxi refecti in templis ac sacellis, ubi sanctissima Eucharistia adservatur, coram augustissimo Sacramento publicae adorationi exposito a media nocte diei XXXI Decembris ad meridiem usque diei I Ianuarii, qua libuerit hora integra orationi vacando etiam iuxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces fuderint, Plenariam Indulgentiam assequi possint et valeant.

Quantum vero temporis adoranda Eucharistia exposita manere debeat, dummodo intra memoratum duodecim horarum spatium fiat, Sanctitas Sua Ordinariorum prudentiae reliquit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die XVI Novembris anno MCM.

S. CARD. CRETONI
S. C. Indulgg. et SS. Reliqq. Praefectus.

FRANCISCVS SOGARO, Archiep. Amiden.
Secretarius.

CONSTITVTIO APOSTOLICA

DE RELIGIOSORVM INSTITVTIS
VOTA SIMPLICIA PROFITENTIVM

—

LEO EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio: aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eae quippe una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere; eâdem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni

earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet; at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est; alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda:

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum curâ atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat: eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praecerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. VIII) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum; integrâ tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa [1], ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula,* et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque

[1] Sess. xxv, cap. xvii, de Regul. et Monial.

sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi; item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est sollemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV Novembris anno MDCCCXCII.

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem*, a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII Martii anno MDCCCXCVI.

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curae,* a Benedicto XIV decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum,* dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII Decembris anno MDCCCXC; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel

in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis; Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequâ statâque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum

Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet mulierbrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in alicuius Sodalitatis legibus a romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per consti-

tutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus Decembres, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI-MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

L. B. DE HERTLING PRAESIDI SOCIETATIS GOERRESIANAE

ET STEPHANO EHSES SAC. MODERATORI

INSTITVTI HISTORICI EIVSDEM SOCIETATIS IN VRBE

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Haud mediocri animi oblectatione iam pridem accepimus ab electa doctorum hominum catholicorum manu Societatis, cui a Iosepho Goerres viro eximio nomen, in Germania vestra initia posita esse, hoc proposito ut optimis quibusque artibus et disciplinis provehendis, una dempta theologia, communibus studiis operam darent. Huiusmodi consilium ideo praesertim comprobavimus, quod persuasum Nobis sit ex bonarum disciplinarum incrementis insignes utilitates in christianam rempublicam derivari. Neque enim pertimescendum fore ut ex sincera veri investigatione disciplinarumque progressibus christianae revelataeque doctrinae detrimentum contingat; quasi fieri possit ut veritas veritati usquam adversetur, aut emolumenti aliquid ex

errore vel veritatis ignoratione expectari liceat. Quod sane meminimus Nos fusius esse prosecutos litteris die XVIII Augusti anno MDCCCLXXXIII datis, illud nimirum veteris sapientiae praescriptum de arte historica inculcantes, *primam esse legem historiae, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.* — Haec quidem constanter reputans, optime de veritate, de religione, de re publica merita est societas vestra, tum egregiis in lucem editis scriptis, tum variis institutis in Urbe conditis, tum etiam attributo praemiorum incitamento iis iuvenibus, qui prima in Academiis stipendia mereantur.

At eo maiore commendatione dignum censemus consilium illud, aliquot ante annos a vobis susceptum, in quo perficiendo strenue nonnullorum virorum industria naviterque elaborat. Intelligimus novam atque amplam monumentorum, quae ad sacrum Concilium Tridentinum spectant, collectam seriem, ex tabulario Vaticano adauctam, scienter emendatam, omnique critico apparatu instructam. Placuit vobis huiusce haud exiguae molis operis volumen primum, vel antea quam extrema ei manus accederet, ad Nos perferri; in eoque rerum copiam, perapto ordine digestam, ad integram fidem documentorum, atque ipsum etiam librariae artis nitorem iucundum fuit laudare pro merito. — Quamobrem cum vehementer vobis in votis sit, ut opus idem auspiciis Nostris in publicum prodeat Nostroque augeatur nomine, id libentes concedimus, optamusque ut quod tam egregie aggressi estis, ad felicem

exitum. Deo bene iuvante. perducatis. Minimeque dubitamus quin labores vestros gratia bonorum et comprobatio consequatur, proinde ac postulat et ipsa rei praestantia et catholicae religionis decus.

Divinorum interim munerum auspicem. praecipuaeque Nostrae benevolentiae testem. Apostolicam benedictionem vobis. dilecti filii. et sodalibus vestris universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Decembris MCM. Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE XVII DECEMBRIS MCM

—

VENERABILES FRATRES

Prope iam exegimus piacularis anni urbana solemnia: spatiumque praeteritum cogitatione respicientes, plane sentimus atque intelligimus quantum benignitati divinae huiusce rei caussâ debeatur. Dei quippe munere beneficioque maternam Ecclesiae indulgentiam conceptasque spes satis prosperus consecutus est exitus. De pietate populari, cuius extitit in Urbe toto hoc tempore tam luculenta significatio tamque multiplex, utique liberet attingere oratione aliquid hoc die atque hoc loco, nisi vobismetipsis, Venerabiles Fratres, testibus ac spectatoribus esse licuisset. Aliud igitur malumus, hortari nimirum et rogare vos ut, iunctis caritate animis, contendere a Deo suppliciter Nobiscum una velitis, ut quod ille opus inchoavit, idem cumulate perficiat, ipsoque custode et adiutore fructus ii, quos sacer annus eduxit, ne fugaces labantur, sed mansuri consistant, atque in maiorem amplioremque ubertatem fauste pubescant. Hoc vult et studet

Ecclesia: hoc est maximum Nostrorum in summa senectute votorum.

Nunc vero pars sacrae celebritatis extrema postulat, ut Portae Basilicarum accepto a maioribus ritu obstruantur. Id Nos quidem ad continentem aedem Vaticanam exemplo decessorum Nostrorum perfecturi Deo opitulante sumus pridie natalis Domini. Quoniamque peragi eodem die caeremonia eadem ad reliquas Patriarchales Basilicas per S. R. E. Cardinales consuevit, idcirco eligimus et nominamus Legatos Nostros a latere Venerabiles Fratres Nostros Lucidum Mariam S. R. E. Cardinalem Parocchi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, qui Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli Apostoli Nostro nomine claudat: item Franciscum titulo Sanctae Mariae *in Aracoeli* S. R. E. Presbyterum Cardinalem Satolli, Basilicae Lateranensis Archipresbyterum, qui Portam Sanctam eiusdem Basilicae Nostro nomine claudat: tum Vincentium S. R. E. Cardinalem Vannutelli Episcopum Praenestinum, Basilicae Liberianae Archipresbyterum, qui Portam Sanctam eiusdem Basilicae Nostro nomine claudat. In nomine ✠ Patris, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Iucunda ista quidem et ad solatium apta: verumtamen plura aliunde ingrata premunt ac tristia. Maximam sollicitudinum caussam nostis intestinam esse atque insidere domi. Qui enim possumus non solliciti esse, non angi, in hoc rei italicae publicae cum Ecclesia dissidio? Si multa dudum incumbunt perpessu gravia, graviora etiam quotidie pertimescimus ab hostilibus animis, ab infestis

legibus. Illud vero in primis calamitosum, quod, quae vis Pontificem exuit principatu iusto ac legitimo, et cum libertate sacri muneris eius coniuncto, eadem, continenter urgens, tenere pergit alienae obnoxium potestati alienoque arbitrio. Huius in Nobis acerbitatis sensum ea res renovavit, quae paulo ante in administratione rerum italicarum gerebatur, cum scilicet in alium ex alio transmissum vidimus imperium Urbis, perinde ac sit iure quaesitum, quod est iniuria partum. His igitur circumfusi incommodis tam gravibus, officiique conscientia permoti, continuationem querimur iniuriae: salvum et incolume Sedis apostolicae ius esse volumus: illudque nec productione temporis, nec possessorum successione, intercidere aut minui ullo modo posse, testamur.

Alio hinc cogitatione curaque pro munere Nostro conversa, referendum ad vos hoc ipso die censemus de Antistite Ecclesiae Babylonensis Chaldaeorum sanciendo. Cum venerabilis frater Georgius Ebed-Jesu Khayyath postremus eius Ecclesiae Patriarcha mense Novembri superioris anni naturae cessisset, Archiepiscopi et Episcopi chaldaici ritus in Synodum legitimo iure congregati in templum S. Meskintae civitatis Mausiliensis princeps, venerabilem fratrem Iosephum Emmanuelem Thomas, Episcopum Seerthensem, in locum demortui, suffragiis de more latis, subrogavere. De re tota litteras dederunt ad Nos Episcopi suffragatores: itemque dedit Patriarcha electus, adiecta fidei catholicae suique in Romanam Apostolicam Ecclesiam obsequii professione. Quibus eisdem litteris cum

is, tum illi postulant ut electionem confirmare, sacrique Pallii honorem electo decernere auctoritate apostolica velimus.

Iamvero venerabilis fratris Iosephi Emmanuelis Thomas virtus multiplex in muneribus eluxit ad hanc usque diem integre gestis, praesertim vero in episcopatu Seerthensi, quem non paucos annos naviter ac prudenter administravit. Ratio igitur erat cur confideremus, altiore in gradu positum de Ecclesia posse ac de communi animorum salute magis etiam, quam antea, mereri. Quamobrem ad Sacrum Consilium Nostrum fidei christianae propagandae, negotiis Orientalium Ecclesiarum praepositum, caussam reiecimus, deque ipsius sacri Consilii sententia Venerabilem Fratrem supra dictum in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum confirmandum, eique Pallium de beati Petri corpore sumptum hodie concedendum censuimus. Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus chaldaici ritus factam de persona Venerabilis Fratris Iosephi Emmanuelis Thomas, eum praeficientes in Patriarcham et Pastorem Ecclesiae Babylonensis Chaldaeorum, prout in decreto et schedula Consistorialibus exprimetur: contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ADOLPHO TIT. SANCTI PETRI AD VINCVLA
PRESBYTERO CARDINALI PERRAUD
EPISCOPO AVGVSTODVNENSI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iam ante annos septemdecim litteras dedimus ad dilectam filiam Hedvigem Zamoyskam, quibus laudabamus institutum eius ad puellas seu nobiles seu sequioris ordinis christianis virtutibus omnique familiari opere exercendas, antequam de statu vitae deligendo deliberarent. Caelestia insuper indulgentiarum munera largiti sumus tum iis qui instituto faverent, tum iis quae in eo praeessent vel educarentur. Quoniam vero egregium hoc caritatis opus, religiosae rei ac familiis perutile, sacerdotum Oratorii consilio atque ductu geri novimus, illudque optimos huc usque fructus tulisse; placet tibi, qui Oratorianae Sodalitati praefectus es, animi Nostri iucunditatem aperire, et gratulari iis, qui instituto vel provehendo vel latius ampli-

ficando adlaborant. Nihil in eo quod a communi vitae ratione discedat; nullum votorum vinculum, vel religiosae consociationis species: sed non exiguum christianae sanctimoniae studium magnique spes emolumenti. Ut igitur coeptum provectumque feliciter opus vigeat porro atque floreat, Apostolicam benedictionem tibi et Oratorii sodalibus, nec non praedictae Hedvigi Zamoyskae eiusque filiae et universis quae in Instituto censentur, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Decembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
GHERARDO VAN CALOEN
ABBATI MONASTERII OLINDENSIS
VICARIO GENERALI CONGREGATIONIS BENEDICTINAE
IN BRASILIA

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Alias iam, et voce et scriptis, speciatim vero in Litteris « *Ex quo primum* » die XXV Aprilis MDCCCXCV datis, Nostram significavimus iucunditatem animi ob instaurationem Benedictini Ordinis in Brasilia feliciter coeptam; simulque promptam commendavimus voluntatem, qua tu, dilecte fili, ceterique Beuronensis Congregationis sodales, illud opus aggressi fuistis. Magis porro laetati sumus, quum, te nuper referente, didicimus, sollertiae vestrae industriis adeo prospere cessisse, ut tam brevi annorum cursu tria monasteria, Olindense videlicet, Bahiense, ac Paulianum disciplinae regulari fuerint reddita; novum in statu Cearensi coenobium, ob aëris salubritatem adolescentium

monachorum valetudini aptius e fundamentis conditum; domus alia operariis ac mediis pro brasilica missione comparandis in Belgio erecta; agmen denique satis frequens tum tironum tum sacerdotum in antiqua Brasilicae Congregationis monasteria remearit. De hisce omnibus huc usque gestis igitur gratulamur libenter tum tibi, dilecte fili, tum Abbati Generali Congregationis Brasilicae, tum etiam religiosis Beuronensibus. Etsi vero nos minime lateat quae quantaque tibi superanda adhuc maneant in praeclari operis prosecutione, tamen de tua alacritate confidimus fore, ut demandatum munus forti, quo soles, animo urgeas feliciterque perficias. Quod, ut facilius assequi possis, caritatem tum Beuronensium Abbatum, tum fidelium hortamur; illorum, ut tibi idoneos adiutores suppetant; horum vero, ut stipem operi necessariam liberali manu conferant.

Testem denique peculiaris nostrae benevolentiae, Abbati Generali, universisque Sodalibus Congregationis Brasilicae ac tibi, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Decembris MCM, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

À NOTRE CHER FILS
FRANÇOIS DU TITRE DE SAINTE MARIE IN VIA
PRÊTRE CARDINAL RICHARD
ARCHEVÊQUE DE PARIS

NOTRE CHER FILS
SALUT ET BÉNÉDICTION APOSTOLIQUE

Au milieu des consolations que Nous procurait l'Année Sainte par le pieux empressement des pèlerins accourus à Rome de tous les points du monde, Nous avons éprouvé une amère tristesse en apprenant les dangers qui menacent les Congrégations religieuses en France. — A force de malentendus et de préjugés, on en est venu à penser qu'il serait nécessaire au bien de l'Etat de restreindre leur liberté et peut-être même de procéder plus durement contre elles. Le devoir de Notre ministère suprême et l'affection profonde que Nous portons à la France Nous engagent à vous parler de ce grave et important sujet dans l'espoir que, mieux éclairés, les hommes droits et impartiaux reviendront à de plus équitables conseils. En même temps qu'à Vous Nous Nous adressons à Nos vénérables frères vos Collègues de l'épiscopat français. Au nom des graves sollicitudes que vous partagez avec

Nous, il vous appartient de dissiper les préjugés que vous constatez sur place et d'empêcher, autant qu'il est en vous, d'irréparables malheurs pour l'Eglise et pour la France.

Les Ordres religieux tirent, chacun le sait, leur origine et leur raison d'être de ces sublimes Conseils évangéliques que notre divin Rédempteur adressa, pour tout le cours des siècles, à ceux qui veulent conquérir la perfection chrétienne: âmes fortes et généreuses qui par la prière et la contemplation, par de saintes austérités, par la pratique de certaines règles s'efforcent de monter jusqu'aux plus hauts sommets de la vie spirituelle. Nés sous l'action de l'Eglise dont l'autorité sanctionne leur gouvernement et leur discipline, les Ordres religieux forment une portion choisie du troupeau de Jésus-Christ. Ils sont, suivant la parole de Saint Cyprien, *l'honneur et la parure de la grâce spirituelle* [1] en même temps qu'ils attestent la sainte fécondité de l'Eglise. Leurs promesses, faites librement et spontanément, après avoir été mûries dans les réflexions du noviciat, ont été regardées et respectées par tous les siècles, comme des choses sacrées, sources des plus rares vertus. Le but de ces engagements est double: d'abord élever les personnes qui les émettent à un plus haut degré de perfection; ensuite les préparer, en épurant et en fortifiant leurs âmes, à un ministère extérieur qui s'exerce pour le salut éternel du prochain et pour le soulagement

[1] De discipl. et habitu Virginum, c. II.

des misères si nombreuses de l'humanité. Ainsi, travaillant sous la direction suprême du Siège Apostolique à réaliser l'idéal de perfection tracé par Notre Seigneur, et vivant sous des règles qui n'ont absolument rien de contraire à une forme quelconque de gouvernement civil, les Instituts religieux coopèrent grandement à la mission de l'Eglise, qui consiste essentiellement à sanctifier les âmes et à faire du bien à l'humanité. C'est pourquoi partout où l'Eglise s'est trouvée en possession de sa liberté, partout où a été respecté le droit naturel de tout citoyen de choisir le genre de vie qu'il estime le plus conforme à ses goûts et à son perfectionnement moral, partout aussi les Ordres religieux ont surgi comme une production spontanée du sol catholique, et les Evêques les ont considérés à bon droit comme des auxiliaires précieux du saint ministère et de la charité chrétienne.

Mais ce n'est pas à l'Eglise seule que les Ordres religieux ont rendu d'immenses services dès leur origine: c'est à la société civile elle-même. Ils ont eu le mérite de prêcher la vertu aux foules par l'apostolat de l'exemple autant que par celui de la parole, de former et d'embellir les esprits par l'enseignement des sciences sacrées et profanes et d'accroître même par des œuvres brillantes et durables le patrimoine des beaux-arts. Pendant que leurs docteurs illustraient les Universités par la profondeur et l'étendue de leur savoir, pendant que leurs maisons devenaient le refuge des connaissances divines et humaines et. dans le naufrage de la civilisation, sauvaient d'une ruine

certaine les chefs-d'œuvre de l'antique sagesse, souvent d'autres religieux s'enfonçaient dans des régions inhospitalières, marécages ou forêts impénétrables et là, desséchant, défrichant, bravant toutes les fatigues et tous les périls, cultivant, à la sueur de leur front, les âmes en même temps que la terre, ils fondaient autour de leurs monastères et à l'ombre de la croix des centres de population qui devinrent des bourgades ou des villes florissantes, gouvernées avec douceur, où l'agriculture et l'industrie commencèrent à prendre leur essor.

Quand le petit nombre des prêtres ou le besoin des temps l'exigèrent, on vit sortir des cloîtres des légions d'apôtres, éminents par la sainteté et la doctrine, qui apportant vaillamment leur concours aux évêques exercèrent sur la société l'action la plus heureuse en apaisant les discordes, en étouffant les haines, en ramenant les peuples au sentiment du devoir et en remettant en honneur les principes de la religion et de la civilisation chrétiennes.

Tels sont, brièvement indiqués, les mérites des Ordres religieux dans le passé. L'histoire impartiale les a enregistrés, et il est superflu de s'y étendre plus longuement. Ni leur activité, ni leur zèle, ni leur amour du prochain ne se sont amoindris de nos jours. Le bien qu'ils accomplissent frappe tous les yeux, et leurs vertus brillent d'un éclat qu'aucune accusation, qu'aucune attaque n'a pu ternir.

Dans cette noble carrière où les Congrégations religieuses font assaut d'activité bienfaisante, celles de France,

Nous le déclarons avec joie une fois de plus, occupent une place d'honneur. Les unes, vouées à l'enseignement, inculquent à la jeunesse, en même temps que l'instruction, les principes de religion, de vertu et de devoir sur lesquels reposent essentiellement la tranquillité publique et la prospérité des états. Les autres, consacrées aux diverses œuvres de charité, portent un secours efficace à toutes les misères physiques et morales dans les innombrables asiles où elles soignent les malades, les infirmes, les vieillards, les orphelins, les aliénés, les incurables, sans que jamais aucune besogne périlleuse, rebutante et ingrate arrête leur courage ou diminue leur ardeur. Ces mérites plus d'une fois reconnus par les hommes les moins suspects, plus d'une fois honorés par des récompenses publiques, font de ces Congrégations la gloire de l'Eglise tout entière et la gloire particulière et éclatante de la France, qu'elles ont toujours noblement servie et qu'elles aiment avec un patriotisme capable, on l'a vu mille fois, d'affronter joyeusement la mort.

Il est évident que la disparition de ces champions de la charité chrétienne causerait au pays d'irréparables dommages. En tarissant une source si abondante de secours volontaires, elle augmenterait notablement la misère publique, et, du même coup, cesserait une éloquente prédication de fraternité et de concorde. A une societé où fermentent tant d'éléments de trouble, tant de haines, il faut, en effet, de grands exemples d'abnégation, d'amour et de désintéressement. Et quoi de plus propre à élever

et à pacifier les âmes que le spectacle de ces hommes et de ces femmes qui, sacrifiant une situation heureuse, distinguée et souvent illustre, se font volontairement les frères et les sœurs des enfants du peuple, en pratiquant envers eux l'égalité vraie par le dévoûment sans réserve aux deshérités, aux abandonnés et aux souffrants?

Si admirable est l'activité des Congrégations françaises, qu'elle n'a pu rester circonscrite aux frontières nationales et qu'elle est allée porter l'Evangile jusqu'aux extrémités du monde, et, avec l'Evangile, le nom, la langue, le prestige de la France. Exilés volontaires, les Missionnaires français s'en vont, à travers les tempêtes de l'Océan et les sables du désert, chercher des âmes à conquérir, dans des régions lointaines et souvent inexplorées. On les voit s'établir au milieu de peuplades sauvages pour les civiliser en leur enseignant les éléments du christianisme, l'amour de Dieu et du prochain, le travail, le respect des faibles, les bonnes mœurs; et ils se dévouent ainsi sans attendre aucune récompense terrestre, jusqu'à une mort souvent hâtée par les fatigues, le climat ou le fer du bourreau. Respectueux des lois, soumis aux autorités établies, ils n'apportent, partout où ils passent, que la civilisation et la paix; ils n'ont d'autre ambition que d'éclairer les infortunés auxquels ils s'adressent et de les amener à la morale chrétienne et au sentiment de leur dignité d'hommes. Il n'est pas rare, d'ailleurs, qu'ils apportent en outre d'importantes contributions à la science en aidant aux recherches qui se font sur ses différents

domaines: l'étude des variétés de races dans l'espèce humaine, les langues, l'histoire, la nature et les produits du sol, et autres questions de ce genre.

C'est précisément sur l'action laborieuse, patiente, infatigable de ces admirables Missionnaires qu'est principalement fondé le protectorat de la France, que les gouvernements successifs de ce pays ont tous été jaloux de lui conserver, et que Nous-même Nous avons affirmé publiquement. Du reste, l'attachement inviolable des Missionnaires français à leur patrie, les services éminents qu'ils lui rendent, la grande influence qu'ils lui assurent particulièrement en Orient, sont des faits reconnus par des hommes d'opinions très-diverses et naguère encore proclamés solennellement par les voix les plus autorisées.

Dans ces conjonctures, ce ne serait pas seulement répondre à tant de services par une inexplicable ingratitude, ce serait, évidemment, renoncer du même coup aux bénéfices qui en dérivent, que d'ôter aux Congrégations religieuses, à l'intérieur, cette liberté et cette paix qui seules peuvent assurer le recrutement de leurs membres et l'œuvre longue et laborieuse de leur formation. D'autres nations en ont fait la douloureuse expérience. Après avoir arrêté à l'intérieur l'expansion des Congrégations religieuses et en avoir tari graduellement la sève, elles ont vu, à l'extérieur, décliner proportionnellement leur influence et leur prestige, car il est impossible de demander des fruits à un arbre dont on a coupé les racines.

Il est facile aussi de voir que tous les grands inté-

rêts engagés dans cette question seraient gravement compromis, même dans le cas où l'on épargnerait les Congrégations de Missionnaires pour frapper les autres; car, à le bien considérer, l'existence et l'action des unes sont liées à l'existence et à l'action des autres. En effet, la vocation du religieux Missionnaire germe et se développe sous la parole du religieux prédicateur, sous la direction pieuse du religieux enseignant et même sous l'influence surnaturelle du religieux contemplatif.

D'ailleurs, on peut s'imaginer la situation pénible qui serait faite aux Missionnaires et la diminution que subiraient certainement leur autorité et leur prestige, dès que les peuples qu'ils évangélisent apprendraient que les Congrégations religieuses, loin de trouver dans leur pays protection et respect y sont traitées avec hostilité et rigueur. Mais, élevant encore la question, nous devons remarquer que les Congrégations religieuses, ainsi que nous l'avons dit plus haut, représentent la pratique publique de la perfection chrétienne; et, s'il est certain qu'il y a et qu'il y aura toujours dans l'Eglise des âmes d'élite pour y aspirer sous l'influence de la grâce, il serait injuste d'entraver leurs desseins. Ce serait attenter à la liberté même de l'Eglise qui est garantie en France par un pacte solennel; car tout ce qui l'empêche de mener les âmes à la perfection nuit au libre exercice de sa mission divine.

Frapper les Ordres religieux, ce serait encore priver l'Eglise de coopérateurs dévoués: d'abord à l'intérieur, où ils sont les auxiliaires nécessaires de l'épiscopat et du

clergé en exerçant le saint ministère et la fonction de l'enseignement catholique, cet enseignement que l'Eglise a le droit et le devoir de dispenser et qui est réclamé par la conscience des fidèles; puis à l'extérieur, où les intérêts généraux de l'Apostolat et sa principale force dans toutes les parties du monde sont représentés principalement par les Congrégations françaises. Le coup qui les frapperait aurait donc son retentissement partout, et le Saint-Siège, tenu par mandat divin de pourvoir à la diffusion de l'Evangile, se verrait dans la nécessité de ne point s'opposer à ce que les vides laissés par les missionnaires français fussent comblés par des missionaires d'autres nationalités.

Enfin nous devons faire observer que frapper les Congrégations religieuses ce serait s'éloigner, à leur détriment, de ces principes démocratiques de liberté et d'égalité qui forment actuellement la base du droit constitutionnel en France et y garantissent la liberté individuelle et collective de tous les citoyens, quand leurs actions et leur genre de vie ont un but honnête qui ne lèse les droits et les intérêts légitimes de personne. Non, dans un état d'une civilisation aussi avancée que la France, Nous ne supposerons pas qu'il n'y ait ni protection ni respect pour une classe de citoyens honnêtes, paisibles, très-dévoués à leur pays, qui, possédant tous les droits et remplissant tous les devoirs de leurs compatriotes, ne se proposent, soit dans les vœux qu'ils émettent, soit dans la vie qu'ils mènent au grand jour, que de travailler

à leur perfection et au bien du prochain, sans rien demander que la liberté! Les mesures prises contre eux paraîtraient d'autant plus injustes et odieuses que, dans le même moment, on traiterait bien différemment des sociétés d'un tout autre genre.

Nous n'ignorons pas que, pour colorer ces rigueurs, il en est qui vont répétant que les Congrégations religieuses empiètent sur la jurisdiction des évêques et lèsent les droits du clergé séculier. Cette assertion ne peut se soutenir si l'on veut se rapporter aux sages lois édictées sur ce point par l'Eglise et que Nous avons voulu rappeler récemment. En parfaite harmonie avec les dispositions et l'esprit du Concile de Trente, tandis qu'elles règlent d'un côté les conditions d'existence des personnes vouées à la pratique des Conseils évangéliques et à l'apostolat, d'autre part elles respectent autant qu'il convient l'autorité des évêques dans leurs diocèses respectifs. Tout en sauvegardant la dépendance due au chef de l'Eglise, elles ne manquent pas, en beaucoup de cas, d'attribuer aux évêques son autorité suprême sur les Congrégations par voie de délégation Apostolique. Quant à représenter l'épiscopat et le clergé français comme disposés à accueillir favorablement l'ostracisme dont on voudrait frapper les Congrégations religieuses, c'est une injure que les évêques et les prêtres ne peuvent que repousser de toute l'énergie de leur âme sacerdotale!

Il n'y a pas lieu de donner plus d'importance à l'autre reproche qu'on fait aux Congrégations religieuses, de

posséder trop de richesses. En admettant que la valeur attribuée à leurs propriétés ne soit pas exagérée, on ne peut contester qu'elles possèdent honnêtement et légalement et que, par conséquent, les dépouiller serait attenter au droit de propriété.

Il faut considérer en outre qu'elles ne possèdent point dans l'intérêt personnel et pour le bien-être des particuliers qui les composent, mais pour des œuvres de religion, de charité et de bienfaisance qui tournent au profit de la nation française, soit au dedans, soit au dehors où elles vont rehausser son prestige en contribuant à la mission civilisatrice que la Providence lui a confiée.

Passant sous silence d'autres considérations que l'on fait au sujet des Congrégations religieuses, Nous Nous bornons à cette importante remarque: la France entretient avec le Saint-Siège des rapports amicaux fondés sur un traité solennel. Si donc les inconvénients que l'on indique ont sur tel ou tel point quelque réalité, la voie est toute ouverte pour les signaler au Saint-Siège qui est disposé à les prendre en sérieux examen et à leur appliquer, s'il y a lieu, des remèdes opportuns.

Nous voulons, cependant, compter sur l'équitable impartialité des hommes qui président aux destinées de la France et sur la droiture et le bon sens qui distinguent le peuple français. Nous avons la confiance qu'on ne voudra pas perdre le précieux patrimoine moral et social que représentent les Congrégations religieuses: qu'on ne voudra pas, en attentant à la liberté commune par des

lois d'exception, blesser le sentiment des catholiques français, et aggraver les discordes intérieures du pays, à son grand détriment. Une nation n'est vraiment grave et forte, elle ne peut regarder l'avenir avec sécurité que si, dans le respect des droits de tous et dans la tranquillité des consciences, les volontés s'unissent étroitement pour concourir au bien général. Depuis le commencement de Notre Pontificat, Nous n'avons omis aucun effort pour réaliser en France cette œuvre de pacification qui lui aurait procuré d'incalculables avantages, non seulement dans l'ordre religieux, mais encore dans l'ordre civil et politique. Nous n'avons pas reculé devant les difficultés, Nous n'avons cessé de donner à la France des preuves particulières de déférence, de sollicitude et d'amour, comptant toujours qu'elle y répondrait comme il convient à une nation grande et généreuse. Nous éprouverions une extrême douleur si, arrivé au soir de Notre vie. Nous Nous trouvions déçu dans ces espérances, frustré du prix de Nos sollicitudes paternelles et condamné à voir, dans le pays que Nous aimons, les passions et les partis lutter avec plus d'acharnement, sans pouvoir mesurer jusqu'où iraient leurs excès ni conjurer des malheurs que Nous avons tout fait pour empêcher et dont Nous déclinons, à l'avance, la responsabilité. En tout cas, l'œuvre qui s'impose en ce moment aux évêques français, c'est de travailler, dans une parfaite harmonie de vues et d'action, à éclairer les esprits pour sauver les droits et les intérêts des Congrégations religieuses, que Nous aimons de tout

Notre cœur paternel et dont l'existence, la liberté, la prospérité importent à l'Eglise catholique, à la France et à l'humanité.

Daigne le Seigneur exaucer Nos vœux ardents et couronner les démarches que Nous faisons depuis longtemps déjà pour cette noble cause! Et comme gage de Notre bienveillance et des faveurs divines, Nous vous accordons, bien-aimé Fils, à vous, à tout l'épiscopat, à tout le clergé et à tout le peuple de France, la bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, près de Saint-Pierre, le 23 Décembre de l'an 1900, de Notre Pontificat le vingt-troisième.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE EXTENSIONE VNIVERSALIS IVBILAEI IN VRBE CELEBRATI
ANNO DOMINI MILLESIMO NONINGENTESIMO
AD VNIVERSVM CATHOLICVM ORBEM

—

LEO EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Temporis quidem sacri, quod solemni caeremoniarum religione hesterno die conclusimus, sicut iucundus Nobis decursus fuit, sic est futura grata recordatio. Quod enim Ecclesia optarat, quodque spectarat unice, ut permoveret salutariter animos post annos quinque et septuaginta instaurata celebritas, id videmur, annuente Dei numine, consecuti. Non enim pauci, sed ad centena millia et ex omnibus civitatum ordinibus numerantur, qui extraordinariam sacrae indulgentiae potiundae facultatem libentes magnaque cum alacritate arripere studuerint. Neque est dubitandum, quin poenitentia salutari expiati atque ad christianas virtutes renovati plurimorum animi inde fuerint: ob eamque rem novum quoddam fidei pietatisque robur ex hoc fonte et capite catholici nominis usquequaque influxisse, non immerito existimamus.

Iamvero, quod in simili caussa Decessores Nostri consuevere, nunc est in animo Apostolicae caritatis dilatare spatia, amplioremque caelestium bonorum praebere facultatem. Nimirum concreditum Nobis thesaurum indulgentiae sacrae, qui anno exacto Romae tantum patuit amplissime, eumdem dimidiato anno proximo in toto orbe catholico patere universitati christifidelium volumus. Valebit id quidem, arbitramur, latius ad revocandos christianos mores, ad copulandas cum Apostolica Sede arctius voluntates, ad cetera vulgo comparanda bona, quae fuse persecuti sumus, cum primo Iubilaeum magnum indiximus. Pertinebit id ipsum ad exorientis saeculi primordia rite dedicanda: neque enim aptius videmus iniri posse saeculum, quam si homines instituant de promeritis Redemptionis Christi uberius proficere. Minime vero dubitamus, quin novum hoc salutis praesidium omnes Ecclesiae filii eo sint animo accepturi, quo est a Nobis exhibitum. Confidimus autem Venerabiles Fratres Episcopos, universumque clerum, pro explorata ipsorum vigilantia diligentiaque daturos, uti par est, operam, ut communia optata plenissime eveniant.

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Iubilaeum magnum, quod in hac Sacra Urbe celebratum est, ad universum catholicum orbem per has litteras extendimus ac sex mensium spatio prorogamus, et pro extenso prorogatoque haberi volumus.

Quapropter omnibus utriusque sexus Christifidelibus

in quacumque ora ac parte terrarum existentibus, etiam iis qui forsan elapso anno sacro Romam venerunt, ibique seu alibi quavis ratione hoc idem Iubilaeum a Nobis concessum adepti sunt, qui intra sex menses, a die publicationis harum litterarum in qualibet Dioecesi factae computandos, Ecclesiam Cathedralem in civitate episcopali, et maiorem in ceteris locis dioecesis, tresque alias tam in illa, quam in istis, ab ipsis Ordinariis sive per se, sive per suos Officiales, aut Parochos vel Vicarios foraneos, designandas, semel saltem in die per quindecim continuos vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis vesperis unius diei ad integrum subsequentis diei crepusculum, devote visitaverint, et pro Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordia, et christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, vere poenitentibus et confessis, sacraque Communione refectis, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino semel concedimus et impertimus, ita tamen ut Confessio annualis et sacra Communio Paschalis ad effectum lucrandi Iubilaei minime suffragentur. In locis vero, in quibus quatuor Ecclesiarum defectus verificetur, eisdem Ordinariis eodemque modo facultas conceditur designandi minorem Ecclesiarum numerum, seu etiam unam, si una tantum adsit Ecclesia, in quibus vel in qua fideles aliarum Ecclesiarum visitationes supplere possint, eas vel eam visitantes iteratis ac distinctis vicibus, eodem die naturali vel ecclesiastico, ita tamen ut numerus visitationum

omnium sit sexaginta et per quindecim continuos vel interpolatos dies distribuantur. Ratione vero habita peculiaris conditionis, in qua certas quasdam personas versari contigerit, haec statuimus:

I. Navigantes et iter facientes, si post elapsos sex menses dictos ad sua domicilia, aut alio ad certam stationem se receperint, peractis quae praescripta sunt, et visitata quindecim vicibus Ecclesia Cathedrali, vel maiori aut Parochiali eorum domicilii vel stationis, eamdem indulgentiam consequi possint.

II. Locorum Ordinariis facultatem facimus dispensandi a praescriptis visitationibus Moniales, Oblatas, aliasque puellas ac mulieres in claustris monasteriorum aut in aliis piis domibus et Communitatibus vitam agentibus; item Anachoretas et Eremitas, aut alias quaslibet personas in carcere aut captivitate existentes, aut valetudine vel alio impedimento detentas, quominus statas visitationes peragant; eisque omnibus et singulis in locum visitationum alia pia opera sive per se ipsos, sive per eorum earumve Regulares Praelatos aut Confessarios, etiam extra sacramentalem Confessionem, commutandi; similiter dispensandi pueros, nondum ad primam Communionem admissos, eisque alia pia opera etiam pro sacramentali Communione praescribendi; Capitulis autem, Congregationibus tam saecularium quam regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, nec non Christifidelibus cum proprio Parocho, aut alio sacerdote ab eo deputato, statutas Ecclesias processionaliter

visitantibus. easdem visitationes ad minorem numerum reducendi.

De Confessario Iubilaei haec indulgemus:

I. Moniales earumque Novitiae sibi ad hunc effectum eligere poterunt Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario loci approbatum.

II. Ceteri omnes utriusque sexus Christifideles tam laici quam ecclesiastici, Saeculares et cuiusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi Regulares, poterunt ad eumdem effectum sibi eligere quemcumque presbyterum Confessarium, tam Saecularem, quam cuiusvis Ordinis et Instituti etiam diversi Regularem, ab Ordinario actuali loci ad audiendas personarum saecularium confessiones approbatum; vel, si agatur de Regularibus, Confessarium proprii Ordinis eligere volentibus, a Praelato Regulari ad suorum Religiosorum audiendas confessiones approbatum.

III. Confessario ita approbato et ad effectum lucrandi Iubilaei electo facultatem hac vice concedimus, intra dictum semestris spatium in foro dumtaxat conscientiae absolvendi ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine quavis de caussa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum, ac Nobis et Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla

non intelligerentur concessi, necnon ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta poenitentia salutari aliisque de iure iniungendis. Excipitur crimen absolutionis complicis, quod ter, aut amplius admissum fuerit. — Praecipue vero haereticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvat, nisi, abiurata haeresi, scandalum, ut par est, reparaverint; item qui bona vel iura ecclesiastica acquisierint sine venia, ne absolvat nisi iis restitutis aut se composuerint, vel sincere promiserint, quam primum se composituros apud Ordinarium, vel apud Sanctam Sedem.

IV. Item vota quaecumque etiam iurata, et Sedi Apostolicae reservata (Castitatis, Religionis et obligatoriis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de damno tertii semper exceptis, necnon poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare; et cum poenitentibus huiusmodi in Sacris Ordinibus constitutis etiam Regularibus super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possit, dummodo ad forum ecclesiasticum non sit deducta, nec facile deducenda.

V. Similique modo cum illis qui, scienter vel ignoranter, cum impedimento gradus secundi et tertii, vel

tertii solius, aut tertii et quarti, vel quarti solius consanguinitatis, vel affinitatis etiam ex copula licita provenientis, matrimonium iam contraxerunt, dummodo huiusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiae possit ad remanendum in matrimonio.

VI. Similiter, pro foro conscientiae tantum dispensare valeat super impedimento dirimente occulto tam primi et secundi, quam primi tantum, aut secundi tantum gradus affinitatis ex copula illicita provenientis in matrimonio contracto; atque etiam, dummodo causae graves et quae canonice sufficientes habentur intersint, in contrahendo: ita tamen ut, si huiusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, vel desponsandae, huius nativitas copulam antecesserit, et non aliter.

VII. Dispensare similiter, pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo, possit super impedimento cognationis spiritualis, itemque super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante, idest quando solum concurrant adulterium et fides data de matrimonio contrahendo post coniugis mortem.

VIII. Dispensare ad petendum debitum possit in casu affinitatis incestuosae matrimonio supervenientis.

IX. Ad petendum pariter debitum cum illis qui voto simplici castitatis obstricti matrimonium contraxerunt, dispensare valeat, illos monendo facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus ac antea voto obstrictos, si coniugi supervixerint.

X. Nolumus autem per praesentes litteras super aliqua alia irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; nolumus ulli Confessario facultatem tribuere absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum Praeceptum peccato; aut complici licentiam impertiri eligendi confessarium huiusmodi ad effectum praesentium, ut iam in Constitutione Benedicti XIV, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae* declaratum fuit: nec quidquam praefatae et aliis pontificiis Constitutionibus derogare volumus quoad obligationem denunciationum; neque demum iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo has easdem Litteras suffragari posse aut debere.

Ceterum, siqui post inchoata, huius Iubilaei consequendi animo, praescripta opera, praefinitum visitationum numerum morbo impediti complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos, ac sacra Communione refectos, praedictae Indulgentiae et remissionis participes fieri volumus. Si qui autem post obtentas absolutiones a

censuris, aut votorum commutationes seu dispensationes praedictas, serium illud ac sincerum ad id alias requisitum propositum eiusdem Iubilaei lucrandi, ac cetera necessaria opera adimplendi mutaverint; licet propter id ipsum a peccati reatu immunes vix censeri possint; nihilominus huiusmodi absolutiones, commutationes et dispensationes ab ipsis cum praedicta animi dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

Praesentes litteras per omnia validas et efficaces suosque plenarios effectus, ubicumque publicatae et executioni demandatae fuerint, sortiri et obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicae Sedis gratia manentibus plenissime suffragari volumus et decernimus; non obstantibus de Indulgentiis non concedendis ad instar, et in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis constitutionibus, ordinationibus, et generalibus seu specialibus absolutionum seu relaxationum ac dispensationum reservationibus, necnon quorumcumque etiam Mendicantium et Militarium Ordinum, Congregationum et Institutorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus caveatur expresse, quod alicuius Ordinis, Congregationis et Instituti professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio

facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, huiusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice et ad praemissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus; ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem, ut harum Litterarum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae extensionis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, Octavo Calendas Ianuarii, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCC

I.

DIE V IANVARII

AD SODALES

SOCIETATIS OPIFICVM IOACHIMIANAE

IN VRBE

Con animo grato accettiamo il dono del Calice d' oro che Ci offrite in nome degli operai cattolici italiani, e Ci congratuliamo di vedere così bene riuscita la nobile e generosa proposta della Società operaia di S. Gioacchino. La condizione delle classi operaie ha sempre destato in Noi una grande sollecitudine; maggiore poi con la pubblicazione della Nostra Enciclica *Rerum Novarum*. Da circa due lustri, quasi ogni anno, abbiamo la consolazione di rivolgere la Nostra parola a schiere di pellegrini operai, che vengono a renderci omaggio; e proviamo una viva soddisfazione ogni volta che Ci è dato constatare i sentimenti del loro affetto al Romano Pontefice, e della loro adesione agli insegnamenti che da Lui emanano. Di questo affetto e di questa adesione una bella prova Ci dànno, per mezzo vostro, gli operai cattolici italiani al cominciare dell' Anno Santo, e Noi ne caviamo i più lieti auspicî.

Oh! se così avranno a caro di attenersi gelosamente alle norme da Noi dettate, che sono quelle dell'Evangelo; se, mai piegando le orecchie alle fallaci attrattive dei principî sovvertitori, manterranno saldo il carattere di operai cattolici, essi davvero *convertiranno* sempre il *ferro* in *oro;* perchè il modesto lavoro delle loro mani, cristianamente sostenuto, e benedetto da Dio, sarà la sorgente vera di ricchezza per le loro famiglie, un elemento vitale di interesse e di ordine pubblico, un tesoro spirituale di meriti per la salute delle anime.

Ed ora è ben giusto che i vostri desiderî siano appagati, e domani, Epifania del Signore, a Dio piacendo, celebreremo la santa Messa col vostro Calice. Offrendo in esso l'Ostia di pace e di amore, pregheremo per tutte le classi operaie. Per quelle cattoliche imploreremo la santa perseveranza; per le altre il ritorno ai salutari principî della religione e del retto operare. — Auspice intanto di questi eletti favori, e pegno del Nostro paterno affetto, ricevete l'Apostolica Benedizione, che di cuore impartiamo a voi, qui presenti, a tutti gli operai cattolici e alle loro famiglie.

II.

DIE II MARTII

AD S. R. E. CARDINALES

C' incamminiamo a questo nuovo anno di pontificato, maravigliati Noi medesimi, umanamente parlando, di una longevità a pochi consentita. Ma chi può sapere i consigli della Providenza? Questo bensì sappiamo a universale conforto che, giovani o vecchi, si dimora tutti sotto le ali della carità di Dio, il quale di tutti è padre e ama sempre: ama quando concede la vita, ama quando la toglie. Si adori dunque perennemente in umiltà e devozione, qualunque esso siasi, il divino beneplacito. — Frattanto il debito che incombe a Noi, si è di non risparmiare le ultime Nostre forze, ma anzi spenderle tutte e di buon volere, come Ci studiamo di fare, in servigio della santa Chiesa. È ben vero che il carico dell' alto uffizio riesce più malagevole ad omeri senili: ma su questo proposito tiene dall' alto la Chiesa una promessa mallevadrice di ogni umana infermità. Che importa che sia commesso a deboli mani il timone del simbolico naviglio, quando si sa che siede a poppa e veglia e governa, non visto, il divino nocchiero? Benedetta la virtù del suo braccio e la moltitudine delle sue misericordie.

Recherà bene i suoi frutti l' anno del giubileo, signor Cardinale, conforme spera ed augura il sacro Collegio. Li recherà senza fallo, perchè nell' opera di giovare le anime vanno sempre compagni alle sollecitudini della Chiesa i possenti influssi della grazia. Ecco già all' ombra delle maggiori basiliche un moto di religiosi sensi visibile e cospicuo. Alla pietà dei cittadini quella degnamente

risponde dei convenuti di fuori: e gli uni e gli altri abbraccia indistintamente, come figli, la città di Pietro, aiutandoli con indulgente bontà a rinnovarsi nello spirito, cioè a farsi migliori, più probi, più caritatevoli, più giusti, più risoluti a sostenere virtuosamente le aspre lotte della vita morale. Questo si vuole e questo si cerca con rito speciale, lungo il corso dell'anno santo. Se altri vuole dalla tradizionale cerimonia cavar occasione di calunnia o di vilipendio, Iddio gli perdoni: l'occhio carnale, fitto nella materia, non vede che materia. Ma dove per poco si pensi, che sovrasta e primeggia nel mondo un ordine di beni infinitamente superiori ad ogni materiale utilità, qual è quell'anima onesta che non voglia riverire gl'intendimenti della Sede apostolica, quando ella con istraordinarie industrie si fa banditrice e ministra di spirituale rinnovamento? E Roma cristiana non apparisce mai tanto simile a se stessa, quanto in mezzo a coteste care e serene solennità della fede. Sono queste le sue ricorrenze memorabili, queste le sue feste vere, perchè fioriscono spontanee dall'intrinseco del suo essere e si rannodano agli eccelsi suoi destini che forza creata non può mutare. Profane manifestazioni, scene sacrileghe ponno sì trovar luogo, permettendolo il cielo, sul suolo di Roma, ma esse non sono romane.

Vi siamo grati e riconoscenti, Venerabili Fratelli, dei sentimenti cortesi che Ci avete novellamente protestati per bocca del venerando vostro Decano, e maggiormente della costante devozione che fu sempre ed è per Noi uno dei più grandi conforti umani. — Del resto non vi paia alieno dall'indole della odierna ricorrenza l'invitarvi che facciamo a congiungervi con Noi nella santa unità della preghiera per un intento tutto conforme ai dettami di quella evangelica dilezione, che non conosce nè distanza nè differenza di schiatte. Supplichiamo tutti concordemente il Signore di volersi impietosire al sanguinoso duello che si combatte da mesi in terra

africana e non permettere che esso vada più oltre. Son tutti figli suoi e fratelli nostri coloro che laggiù si travagliano nel duro agone delle ansie e dei cimenti guerreschi, e già son troppe quinci e quindi le vittime. Voglia Iddio benedetto riguardarli con occhio paterno, spegnerne le ire e condurne i cuori a propositi di moderazione reciproca e di accordo, sicchè possano tornar quanto prima in amicizia leale, salda, consacrata nel bacio scambievole, della pace e della giustizia.

Come pegno dei celesti favori e testimonianza del Nostro affetto, impartiamo di gran cuore al Sacro Collegio, ai Vescovi, ai Prelati, e a quanti qui Ci fanno corona, la benedizione apostolica.

III.

DIE XII NOVEMBRIS

AD ABBATES ORDINIS BENEDICTINI

Praesentia obsequioque vestro magnopere delectamur, dilecti filii, quos in hanc sanctam Urbem una mens ac pietas tam frequentes adduxit. Ad templum novi Coenobii Collegiique Anselmiani dedicandum e Familiis omnibus convenistis, non modo ab Italia et a plerisque Europae regionibus, sed inde etiam a longinquis plagis Americae et Australiae; ita nimirum ut universi Ordinis Benedictini oblatam in vobis imaginem Roma videat, videndo gratuletur.

Nec sane vobis debet gratulatio deesse Nostra; qui multiplices inter curas muneris Apostolici, id perpetuo studuimus ut Religiosorum Ordines et spiritu vigerent Conditorum sanctorum et veteri gloria nitescerent; ea scilicet non fluxa gloria, quam complura et egregia aeque in Ecclesiam atque in civitatem merita pepererunt. Ad illustrem Ordinem vestrum quod attinet, pergratum est commemorare quemadmodum variae eius Congregationes, optatis consiliisque Nostris obsecutae, arctiorem quamdam caritatis necessitudinem inter se inierint, ob eamque rem ad ampliora etiam niti felicius utiliusque possint. Cuius quidem coniunctionis eo aptius vinculum idemque totius Ordinis adiumentum optimum esse censemus Collegium Anselmianum in Urbe, quod, Nostrâ quoque impensa, excitare et redintegrare placuit. In eo mens fuit ut delecti adolescentes, a singulis Ordinis Familiis missi, ad philosophiam et theologiam ex praescripto Aquinatis, similesque adiutrices disciplinas una eademque ratione instituerentur, excolerentur: qui, absoluto

studiorum curriculo, ad sua quisque Coenobia remigrarent, opportuna doctrinarum copia quasi supellectile instructi, et, quod caput est, sincero imbuti spiritu legiferi Patris. — Iamvero curis atque expectationi Nostrae, adiuvante Deo, respondet exitus. Nostis, dilecti filii, et vosmetipsi per hos dies videtis quanta cum alacritate optimi ii alumni ad studiorum officia incumbant, et quantam sui praeferant spem ad graviora monasticae professionis ministeria. In quo merita est tribuenda laus sapientiae sollertiaeque tum Abbatis vestri Primatis Hildebrandi, quem coram habemus, tum decuriae Doctorum, neque iis minus qui Collegio administrando praesunt. Quare, dilecti filii, quamquam opus non est hortatione, sinite tamen vos adhortemur ut idem Collegium, a quo non pauca expectari licet et praeclara bona, peculiari gratia prosequamini: id quod acceptissimum erit Nobis, qui valde velimus Collegium Anselmianum aere perennius permansurum, in Dei gloriam, in decus et incrementum Ordinis vestri.

Communibus votis benigne faveat augusta Dei Mater, qua nempe auspice templum Collegii hesterno die sollemnibus caeremoniis dedicastis; faveat Benedictus Pater, efficiatque praesens ut sancta ipsius Regula, cuius exemplar novum a vobis libentes accipimus, magis magisque toto Ordine florens, insideat in omnium animis, ex moribus omnium eluceat. — Paternae autem benevolentiae Nostrae pignus, habete benedictionem Apostolicam, quam singulis vobis religiosisque Familiis vestris peramanter in Domino impertimus.

INDEX

MDCCCC.

Litterae Apostolicae « *Iesu Christi Ecclesiam* » die 1 Ianuarii; quibus decreta Concilii plenarii Americae latinae approbantur et promulgantur . . . . . Pag. 1

Litterae Apostolicae « *Romanorum Pontificum* » die 3 Ianuarii; quibus ex speciali privilegio indulgentiae omnes Sanctuario Lauretano concessae non suspenduntur durante anno sacri Iubilaei. . . . . » 4

Epistola « *Et epistola tua et duplex adiunctum* » die 11 Ianuarii ad Episcopum Vesprimiensem. — Opus *Monumenta Romana Ecclesiae Vesprimiensis*, eius munificentiâ, studioque editum Guilelmi Franknói, eo praesertim nomine commendat, quod et historiam Vesprimiensium domesticam et veterem romanorum Pontificum de ipsis providentiam illustret . . . . . » 6

Epistola « *Ignatianae Commentationes* » die 8 Februarii ad Ludovicum Martin, Praepositum Generalem Societatis Iesu. — Quod nonnulli e Societate Iesu alumni, in Gallia praesertim et Belgio, fundatas in pios secessus domos operariorum classi patere maxime voluerint, non uno nomine gratulatur. — Vehementer optat ut quod in Gallia ipsa et Belgio feliciter est institutum ad ceteras etiam nationes pari cum emolumento propagetur. » 8

Epistola « *Laetitiae sensus* » die 20 Februarii ad Iosepham Digby,

Antistitam Generalem Sororum a S. Corde Iesu. — Centesimum Instituti natalem ipsis gratulatur, hortatione addita et votis. . . . . Pag. 10

Epistola « *Sollertiae* » die 7 Martii ad Raphaelem Merry Del Val, Praelatum Suum Domesticum, Praesidem Academiae Ecclesiasticae Urbanae. — Consociationem inter alumnos et qui sunt et qui fuerunt proxime initam, defunctis ipsius Academiae praepositis alumnisque expiandis, valde commendat, eidemque Sodalitio nomen Suum libenter consociat . . . . . » 12

Epistola « *Merita quidem* » die 7 Martii ad Ceslaum Paban et Thomam Pègues, sodales ex Ordine Dominicano. — Consilium ab ipsis initum novae instruendae editionis scriptorum Ioannis Capreoli peculiari laude exornat, et de primo operis volumine iam emisso Sibique oblato grates agit . . . . . » 14

Litterae Apostolicae « *Sanctae Romanae Ecclesiae* » die 9 Martii; quibus parochialis ecclesia Nativitatis Beatae Mariae Virginis Victoriarum in dioecesi Gaudisiensi in saecularem et insignem Collegiatam erigitur . . . . . » 16

Epistola « *Etsi tua* » die 17 Martii ad Ioannem Baptistam Anzer Episcopum Teleptensem, Vicarium Apostolicum Chantong Meridionalis in Sinis. — Consilium probat sinensis edendae ephemeridis, quae audacioribus opinionum commentis et irruenti in illas etiam dissitas plagas scriptorum licentiae opportune obiiciatur . . . . . » 33

Epistola « *Gloriosi nominis* » die 20 Martii ad Archiepiscopos et Episcopos Apulae Provinciae. — De primo catholicorum conventu Tarenti bene prospereque habito magnopere gratulatur. — Uberes ex ipso fructus sperat . . . . . » 35

Epistola « *Accepimus* » die 29 Martii ad Episcopum Capitis Haitiani, Administratorem Apostolicum Portus Pacis. — Grate Se

habuisse testatur litteras officii plenas ab ipso et clero, quum dioecesanae celebrandae Synodo una simul essent, communiter datas. — Paternam voluntatem Suam ipsis omnibus prolixe testatur . . . . . Pag. 37

Epistola « *Non semel Nos* » die 5 Aprilis ad Sebastianum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Galeati, Archiepiscopum Ravennatensem. — Veterem spectatamque Ravennatium erga sanctissimam Dei Matrem pietatem commemorat, et de sacris sollemnibus proxime in eius honorem habendis non uno nomine laetatur. . . . . » 39

Decretum « *Apostolicae Sedi* » S. Congr. Consist. die 11 Aprilis; de erectione novae dioecesis de Manizales in Columbiana Republica . . . . . » 42

Epistola « *Ingenium curasque tuas* » die 14 Aprilis ad Ioachimum Sestili Theologum. — De nova Commentariorum Ferrariensis in Thomae Aquinatis libros contra Gentiles adornata ab ipso editione gratulatur, eumdemque ad alia eiusmodi pari cum fructu atque ampliore suscipienda vehementer hortatur . » 50

Litterae Apostolicae « *Nulla unquam aetate* » die 18 Aprilis; quibus Venerabili Dei Famulae Mariae Magdalenae Martinengo Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 52

Allocutio « *Quam rem* » habita in Consistorio die 19 Aprilis. — De causa agit Canonizationis beatorum caelitum Ioannis Baptistae De la Salle et Ritae a Cassia, eaque de re sententias rite exposcit S. R. E. Cardinalium. . . . . » 59

Epistola « *Pergratum Nobis* » die 19 Aprilis ad Maximilianum Liberum Baronem de Vittinghoff - Schell. — Libenter Sese accepisse testatur, proxime celebratum iri Vindobonae conventum Consociationum catholicarum christianae caritatis operibus provehendis. — Illud maxime commendat, ut nempe ipsarum industriae adolescentem aetatem ne praetereant . . . . » 62

Epistola « *Diuturni laboris* » die 20 Aprilis ad Augustinum Berthe, Sodalem a Ss. Redemptore. — Valde grata Sibi accidisse testatur bina volumina ab ipso edita, de vita rebusque gestis Alfonsi Patris, eumdemque hoc praesertim nomine collaudat quod quamquam alii de illo scripserint et praeclare, tamen qui ex parte omni fecisset, adhuc desiderabatur . . Pag. 64

Epistola « *Aequissimum* » die 28 Aprilis ad Petrum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Coullié, Archiepiscopum Lugdunensem. — De eximia et constanti Lugdunensium in beatissimam Virginem pietate gratulatur, eidemque Archiepiscopo facultatem perlibenter facit, diadema aureum, statis caeremoniis, imponendi simulacro Virginis, quod in monte *a Foro vetere* nuncupato, religiose colitur . . . . . » 66

Epistola « *Dum publicis laetitiis* » die 29 Aprilis ad Archiepiscopum Colocensem. — Rem Christianam ante annos DCCCC in Hungaris rite constitutam commemorans, omnes ex Hungaria catholicos vehementer hortatur ut avitam fidem fortiter retineant strenueque colant . . . . . » 68

Epistola « *Iucundae Nobis* » die 1 Maii ad Canonicos Aedis Metropolitanae Florentinae. — Communes litteras, officii plenas, ab ipsis paulo ante datas, non uno nomine gratas Sibi obvenisse testatur. . . . . » 70

Epistola « *De iis* » die 2 Maii ad Archiepiscopum Algeriensem ceterosque Episcopos, qui Hipponem Regium ad Augustiniani Templi dedicationem convenerunt. — Quod ipsis curantibus, sancti Augustini memoria, insigni aede extructa, inibi revirescat, magnopere gratulatur. — Africae Ecclesiis maiora in dies incrementa exoptat . . . . . » 72

Litterae Apostolicae « *Fortissimorum virorum* » die 7 Maii ; quibus Venerabilibus Dei Famulis septuaginta septem Mar-

tyribus Annamitis et Sinensibus Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . Pag. 74

Epistola « *Quantum ad mores* » die 12 Maii ad Mariam Stiltz, Moderatricem Coetus mulierum a S. Francisco Salesio nuncupati. — Opportuno salutarique consilio coetum ipsum institutum fuisse declarat, uberioresque in dies ex eo fructus expectat . . . . . » 83

Litterae Apostolicae « *Vastum sane* » die 15 Maii; quibus Venerabilibus Dei Famulis Dionysio a Nativitate et Redempto a Cruce, sodalibus Carmelitis, Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 85

Allocutio « *Quod superiore mense* » habita in Consistorio die 17 Maii; de sacris sollemnibus Canonizationis beatorum caelitum Ioannis Baptistae De la Salle et Ritae a Cassia in Aede Vaticana proxime habendis . . . . . » 95

Litterae Apostolicae « *Ab ipsis Ecclesiae exordiis* » die 20 Maii; quibus Venerabili Dei Famulae Ioannae de Lestonnac, Fundatrici Ordinis Filiarum Beatae Mariae Virginis, Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 97

Litterae Apostolicae « *Antequam Christus* » die 24 Maii; quibus Beato Ioanni Baptistae De la Salle, Scholarum Christianarum fundatori, Sanctorum caelitum honores decernuntur . . » 108

Litterae Apostolicae « *Umbria gloriosa Sanctorum parens* » die 24 Maii; quibus Beatae Ritae a Cassia, Moniali Professae Ord. Eremitarum S. Augustini, Sanctorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 134

Homilia « *Verba quidem ad vos* » habita in Basilica Vaticana die 24 Maii inter sollemnia Canonizationis beatorum caelitum Ioannis Baptistae De la Salle et Ritae a Cassia . . . . . » 157

Epistola « *Per hosce dies* » die 31 Maii ad Ioannem Guibert, Presbyterum Sulpicianum. — Perlibenter Sese accepisse testatur historiam Ioannis Baptistae De la Salle, nove ab ipso confectam, in eâque excultum scribendi genus atque monumentorum copiam exquisite perpensam collaudat . . . . Pag. 160

Epistola « *Lyceum magnum* » die 31 Maii ad Stanislaum Tarnowski Com., Lycei Magni Iagellonici Rectorem. — Quinto exeunte saeculo ab instaurata Universitate bene ipsi a Deo precatur, simulque doctoribus atque auditoribus animos addit ad excellentiora in dies perficienda . . . . . » 162

Epistola « *Quas tu* » die 8 Iunii ad Andream S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ferrari, Archiepiscopum Mediolanensem. — Litteris officii plenis, ab ipso ceterisque eius regionis Episcopis post Rhaudiensem conventum communiter datis magnopere Sese delectatum scribit, praesertim ob studium quo utilitates suarum dioecesium assidue provehunt. — Nonnulla addit opportune ad tempora . . . . . » 164

Litterae Apostolicae « *Quae catholico nomini* » die 13 Iunii; de translatione tituli dioecesis Graftonensis in Australia . . » 166

Litterae Circulares « *È noto* » die 19 Iunii ad Archiepiscopos Italiae; quibus in operariorum bonum, ex Italia in exteras nationes demigrantium, nonnulla opportune monentur . . . » 168

Decretum « *In votis fuit* » S. C. Consist. die 20 Iunii; quo Episcopales sedes Popayanensis et Carthaginensis in Columbiana Republica Archiepiscopali titulo et dignitate augentur. . » 173

Decretum « *Quum legitimae causae* » S. C. Consist. die 20 Iunii; de erectione novarum Dioecesium Ibaguensis et de Garzón in Columbiana Republica. . . . . » 178

Decretum « *Postremis hisce temporibus* » S. C. Consist. die 2 Iulii;

de erectione novae Dioecesis de Alagoas in Brasiliana Republica. . . . . Pag. 188

Epistola « *I luttuosi avvenimenti* » die 16 Iulii ad Petrum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Respighi, Suum in Urbe Vicarium. — Saeviente in Sinis immani christianorum caede, peculiares ad Deum preces in Urbe indicit . . . . . » 197

Epistola « *Omnibus compertum* » die 21 Iulii ad Patriarcham et Archiepiscopos et Episcopos Graeco-Melchitas. — Varias inter ipsos exortas dissensiones memorat, restitutamque paulo ante hortationibus Suis concordiam et pacem. — Tum nonnulla ad eiusmodi animorum consensionem firmandam opportune edicit. . . . . » 199

Litterae Apostolicae « *Quod Ioannes* » die 27 Iulii; quibus Venerabili Dei Famulae Crescentiae Höss, Moniali Professae Tertii Ordinis S. Francisci, Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 204

Epistola « *Praestantiam* » die 2 Augusti ad Episcopum Assisiensem. — Magnopere gaudet communia Assisiensium studia in id coalescere ut Clarae virgini insignes quidam honores habeantur, quum quinquennia explentur dena ex quo sacrum eius corpus inventum feliciter est. — Donum adiicit peculiaris Suae in Claram pietatis testem mansurum. . . . . » 214

Decretum « *Regio latissime patens* » S. C. Consist. die 4 Augusti; de erectione novae Dioecesis *De Pouso Alegre* in Brasiliana regione. . . . . » 217

Epistola « *Peracta haud ita pridem* » die 6 Augusti ad Hippolytum Feher, Archiabbatem Congregationis Benedictinae in Hungaria. — Nono exeunte saeculo, ex quo christianae sapientiae in Hungaris professio primum reverentiam auctoritatis publicae debitamque legum tutelam assecuta est, consilium

probat, auctoribus Hungariae Episcopis susceptum, auspicati eventus memoriam accommodate ad praesentium calamitates temporum recolendi. — Sodales Benedictinos vehementer hortatur ut alacriore in dies studio pergant catholici nominis gloriam voce scriptis vitaeque exemplo in Hungaria tueri. Pag. 226

Epistola « *Merito quidem* » die 8 Augusti ad Archiepiscopum Albae Iuliensis et Fogarasiensis. — Sollemnia apparari ob memoriam instauratae Ruthenorum duo ante saecula cum Romana Sede concordiae gratum iucundumque Sibi esse scribit. — Hortationem opportune addit . . . . . » 228

Epistola « *Recepimus* » die 11 Augusti ad Episcopum Kielcensem. — Pergratas Sibi accidisse testatur obsequentissimas litteras ab ipso, a clero atque a primoribus civitatis Kielcensis communiter datas, paternamque sollicitudinem Suam Poloniae catholicis peramanter confirmat . . . . . » 230

Epistola « *Pari semper* » die 14 Augusti ad G. Rueganberg, Praesidem coetus conventui catholicorum Bonnae parando. — De proximo Bonnensi conventu magnopere gratulatur; uberesque ipsum, uti anteactos, allaturum fructus sperat . . . . » 232

Epistola « *Ad Franciscum Albertum* » die 17 Augusti ad Archiepiscopum Salisburgensem. — De Lyceo magno Salisburgensi proxime instaurando, Episcopos provinciarum Vindobonensis et Salisburgensis vehementer hortatur, ut coeptis alacres insistant, et populum de condendi Instituti utilitate doceant, omnesque excitent ad conferendam pro viribus operam . » 234

Epistola « *Commendationem* » die 18 Augusti ad Archiepiscopum Dubuquensem. — Ipsi episcopale munus iterum in Foederatis Americae septentrionalis civitatibus capessenti nonnulla ad fovenda rei catholicae in iis regionibus incrementa enixe commendat . . . . . » 236

Epistola « *Già fin dagli esordî* » die 19 Augusti ad Petrum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Respighi, Suum in Urbe Vicarium. — Ad praecavenda pericula quae ex pertinaci haereticorum opera incolumitati fidei romanorum impendent, pium institutum cui titulus: « *Opera della Preservazione della Fede* » vehementer commendat. — De salutaribus, Deo bene iuvante, iam perceptis fructibus valde laetatur, uberioresque in posterum, concordi atque alacri tum cleri tum laicorum hominum studio, consequuturos confidit . . . . . PAG. 238

Epistola « *Quam alte* » die 19 Augusti ad Eliam Petrum Kuayek, Patriarcham Antiochenum Maronitarum. — Peculiare Suum in Maronitarum Ecclesiam studium commemorat, nominatimque instauratum in Urbe ipsorum Collegium auctosque paullo ante eius redditus . . . . . » 244

Epistola « *Ad catholicorum conventum* » die 31 Augusti ad Ioannem Baptistam Paganuzzi, Com. — Magnopere gaudet, annuum catholicorum ex Italia conventum proxime in Urbe habitum iri; atque ut res prospere et e sententia cedat, nonnulla alias iam a Se data documenta pro opportunitate iterat . . . » 246

Epistola « *Te sane meminit* » die 1 Septembris ad Alphonsum Petrum Favier, Episcopum tit. Pentacomiensem, Vicarium Apostolicum Pekinensem. — De recenti in Sinarum Imperio christianorum caede vehementer dolet. — Gaudet eum evasisse incolumem, hortationemque opportune addit . . . . . » 249

Epistola « *Iamdiu te* » die 5 Septembris ad Caietanum Zocchi e Soc. Iesu. — Edita ab ipso volumina hoc praesertim nomine commendat, quod fovendae in populo pietati tuendaeque fidei magnopere accommodata sint . . . . . » 251

Epistola « *Catholicorum haberi coetus* » die 5 Septembris ad Amedeum Rossi, Franciscum Codeglia, Iulium Caesarem De Rossi. —

De primo catholicorum iuvenum, qui maioribus disciplinis undique dant operam, conventu in Urbe coacto maiorem in modum gratulatur. — Cohortando, bene precando eorumdem iuvenum studia exacuit . . . . . Pag. 253

Litterae Apostolicae « *Ecclesiae catholicae* » die 8 Septembris; quibus Venerabili Dei Famulo Antonio Grassi Beatorum caelitum honores decernuntur . . . . . » 255

Epistola « *Apostolicis Litteris* » die 13 Septembris ad G. Billecocq, Sodalem Sulpitianum. — De Archisodalitate precum ac piorum operum pro reditu Britanniae ad fidem catholicam, sub patrocinio B. Mariae Virginis Perdolentis, in Aedibus Sulpitianis constituta, consilium approbat commentarios pluries in anno edendi, in quibus ipsius Sodalitatis dignitas illustretur, eiusdemque progressus enarrentur . . . . . » 263

Litterae Apostolicae « *Venerabilis Frater* » die 14 Septembris; de translatione corporis S. Augustini ad Basilicam S. Petri *in caelo aureo* urbis Papiensis. . . . . » 265

Litterae Apostolicae « *Romani Pontifices* » die 17 Septembris; quibus novus Index generalis librorum prohibitorum auctoritate apostolica approbatur et confirmatur. . . . . » 271

Epistola « *In Tertium Franciscalium Ordinem* » die 21 Septembris ad Franciscales e tertio Ordine qui Romam habituri coetum convenerunt. — Maiorem in modum ipsis omnibus gratulatur; vehementerque exoptans ut Ordo ipse florere magis in dies pergat, nonnulla opportune monet . . . . . » 275

Motu proprio « *Eximiis* » die 30 Septembris; de Collegio Clericis Philippinis instituendis . . . . . » 278

Epistola « *Qua mente* » die 4 Octobris ad Iosephum Calasanctium S. R. E. Diaconum Cardinalem Vives y Tuto. — De felici

exitu conventus sodalium e tertio Franciscalium Ordine in Urbe paulo ante habiti, ex animo gratulatur: tum animorum concordiam et servandarum legum par in omnibus et ubique studium iterum commendat. . . . . Pag. 282

Epistola « *Communes litteras* » die 8 Octobris ad Georgium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Kopp, Episcopum Vratislaviensem. — Officiosam epistolam, annuo exacto coetu Fuldensi, ab ipso ceterisque Borussiae Episcopis datam, pergratam Sibi accidisse testatur. — Valde confidit fore ut Deus pastorales eorum industrias uberibus lectissimisque fructibus ditet . . . » 284

Epistola « *E religiosis familiis* » die 18 Octobris ad Iacobum Meeuwissen, Praesidem provincialem Sodalium a Ss. Redemptore, Amstelodami. — Sodalibus Alphonsianis in Neerlandia, optime de Ecclesia meritis, peramanter gratulatur, eorumque studia cohortando exacuit . . . . . » 286

Litterae Apostolicae « *Rei catholicae* » die 20 Octobris; de Collegio Clericorum Lusitanorum in Urbe condendo . . . . » 288

Epistola Encyclica « *Tametsi futura prospicientibus* » die 1 Novembris; de Iesv Christo Redemptore. — Principio edicit, spei aliquid et solatii extrema saeculi divino munere peperisse. Renovatam nimirum cogitationem bonorum animi, fidei et pietatis christianae excitata studia, nominatimque solito magis incensam erga humani generis Salvatorem pietatem. — Pro conditione tamen temporum et per sacri opportunitatem anni disseminare latius notitiam atque amorem Iesu Christi oportere. — Tum divinae beneficia Redemptionis memorat, eaque perennia et immortalia manere ostendit. — Omnem esse in Christo Iesu positam cum singulorum tum universorum salutem: ipse namque est *via*, et *veritas*, et *vita*. Aberrare de via, veritatem, fontemque vitae deserere quam miserum et calamitosum, privatim et publice. — Quum alieni a Iesu Cristo plerique sint ignoratione magis quam voluntate improba, primum

sit ignorationem scientia depellere. — De iis quae appellantur *iura hominis,* satis audiit multitudo: audiat aliquando de iuribus Dei. — Episcoporum et cleri universi studia in id vehementer exacuit . . . . . PAG. 294

Decretum « *Regi saeculorum* » S. C. Indulg. et SS. Reliq. die 16 Novembris; de novi saeculi initiis Christo Redemptori sollemniter consecrandis . . . . . » 315

Constitutio Apostolica « *Conditae a Christo Ecclesiae* » die 8 Decembris; de Religiosorum Institutis vota simplicia profitentium . . . . . » 317

Epistola « *Haud mediocri* » die 10 Decembris ad L. B. De Hertling, Praesidem Societatis Goerresianae et Stephanum Ehses Sac. Moderatorem Instituti historici eiusdem Societatis in Urbe. — Consilium ab ipsa Societate susceptum edendi novam atque amplam accuratamque monumentorum, quae ad sacrum Concilium Tridentinum spectant, collectam seriem, peculiari laude exornat; et primum paulo ante editum eius operis volumen pergrate Sese habuisse testatur . . . . . » 328

Allocutio « *Prope iam exegimus* », habita in Consistorio, die 17 Decembris. — Magnopere laetatur, urbana piacularis anni sollemnia prosperum atque uberem, Deo bene iuvante, consecuta esse exitum. — Deinde edicit, more Se exemploque Decessorum, Portam Sanctam Basilicae Vaticanae pridie natalis Domini clausurum. — Tum ad reliquas Basilicas Patriarchales Legatos a latere eligit et declarat S. R. E. Cardinales Lucidum Mariam Parocchi, Episcopum Portuensem et S. Rufinae; Franciscum Satolli, Basilicae Lateranensis Archipresbyterum; itemque Vincentium Vannutelli, Archipresbyterum Basilicae Liberianae. — Subdit deinceps plura aliunde ingrata premere ac tristia; maximeque rei italicae publicae cum Ecclesia dissidium. — De occupatione Urbis, continuationem iniuriae graviter conqueritur, testaturque Sedis Apostolicae ius nec produ-

ctione temporis, nec possessorum successione, intercidere aut minui ullo modo posse. — Demum electionem de more confirmat Iosephi Emanuelis Thomas, Episcopi Seerthensis in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum . . . . . Pag. 331

Epistola « *Iam ante annos* » die 18 Decembris ad Adolphum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Perraud, Episcopum Augustodunensem. — Pium sodalitium ad puellas christianis virtutibus omnique familiari opere exercendas institutum, et Sacerdotum Oratorii vigilantiae curisque concreditum, peculiari laude exornat, uberesque ex eo in rei religiosae ac familiarum bonum fructus expectat. . . . . » 335

Epistola « *Alias iam* » die 19 Decembris ad Gherardum van Caloen, Abbatem Monasterii Olindensis, Vicarium Generalem Congregationis Benedictinae in Brasilia. — De incrementis Benedictini Ordinis in Brasilia gratulatur; sodalesque omnes hortatur ut coeptis alacres insistant . . . . . » 337

Epistola « *Au milieu des consolations* » die 23 Decembris ad Franciscum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Richard, Archiepiscopum Parisiensem. — Imminentem Ordinibus religiosis publice in Gallia cladem depellere nititur. — Religiosae institutum vitae ostendit omni honore et laude dignum, quippe ad evangelica consilia exactum; opportunum maxime Ecclesiae; non minus frugiferum civitati. — Religiosorum praecipue Galliae Ordinum merita in patriam, domi forisque praeclara. — Gallos non impune illaturos religiosis bellum. — Id ipsum fore multiplici ex capite iniustum. — Fictas huius belli aggrediendi caussas refellit. — Pacta urget inter Apostolicam Sedem et Galliam conventa . . . . . » 339

Litterae Apostolicae « *Temporis quidem sacri* » die 25 Decembris; de extensione Universalis Iubilaei, in Urbe celebrati, ad universum catholicum orbem . . . . . » 352

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCC

I. - Die 5 Ianuarii, ad sodales Societatis Opificum Ioachimianae in Urbe . . . . . Pag. 363

II. - Die 2 Martii, ad S. R. E. Cardinales. . . . . » 365

III. - Die 12 Novembris, ad Abbates Ordinis Benedictini. . » 368

WITHDRAWN

BX8701878 C001 V020
LEONIS XIII. PONTIFICIS MAXIMI ACTA ROM
3 0311 00056 3689

BX
870
1878
AUTHOR Catholic Church, Pope,
1878-1903 (Leo XIII)
V.20
TITLE LEONIS XIII....ACTA.
29229
DATE DUE BORROWER'S NAME

29229

3 0311